DEMOSTHENIS PRO PHORMIONE ORATIO

ADNOTATIONE
CRITICA INSTRUCTA ET COMMENTARIO EXPLANATA.

DISPUTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE ERLANGENSI

RITE CONSEQUENDOS

CONSCRIPSIT

GEORGIUS HUETTNER.

ERLANGAE.
TYPIS JUNGII ET FILII.
MDCCCLXXXV.

Demosthenis pro Phormione orationem

adnotatione critica instruxit et commentario

explanavit

Georgius Huettner.

Quod abhinc plus quinquaginta annos de omnibus privatarum causarum orationibus Atticis Schoemannus dixit (Isaei oratt. XI, praef. p. III.), ad illud tempus fere neminem inventum esse, qui perpurgandis et explanandis iis debitam operam praestaret, idem hac aetate de iis orationibus privatis, quae sub Demosthenis nomine feruntur exceptis illis, quas in Cononem et in Eubulidem scripsit, dici debet. Quamquam enim A. Schaeferus in additamentis operis sui egregii, quod inscribitur 'Demosthenes und seine Zeit' Lips. 1856 - 1858, cum alia permulta de hoc orationum genere subtiliter persecutus est, tum quae ipsius Demosthenis esse viderentur diligentius inquisivit, tamen longe maxima earum pars adhuc caret critico et interprete. Cf. A. G. Becker, Literatur des Demosthenes, Quedlinburg und Leipzig 1830 p. 121 n. 24. Rud. Nicolai, Griechische Literaturgeschichte I² p. 401. Id mirum est, cum orationes publicas iterum ac saepius editas et vel commentariis propriis vel disputationibus omni ex parte explanatas esse videamus. Quae ut materiam multo uberiorem afferunt ad illam aetatem intellegendam et iudicandam in iisque summi oratoris vis ac virtus maxime cernitur, ita in illis multa insunt, quae ad rerum Graecarum cum privatarum tum forensium cognitionem pertinent. Accedit, quod in orationum privatarum numero plures sunt, quae utrum ab ipso Demosthene an ab aequalibus conscriptae et a Callimacho, qui princeps catalogum oratorum Graecorum confecit, Demosthenicarum orationum corpori insertae sint, permagni interest ad mores oratoris aestimandos. Dico septem illas orationes ab Apollodoro Pasionis

filio habitas (45. 46. 49. 50. 52. 53. 59[1]). Quae si Demosthenis essent, iure ei Plutarchus (vit. Dem. c. 15) fidem lubricam obiecisset. Has orationes, postquam spurias esse G. H. Schaeferus (Appar. crit. V p. 366 et alibi) suspicatus est, doctissimus ille, quem supra diximus, vir eodem nomine ad dicendi rationem exquisivit et Apollodori nomini addicendas esse iudicavit (A. Schaef. III, 2 p. 130—199). Quod Schaeferus breviter attigerat atque incohaverat, id Franciscus Lortzing dissertatione inaugurali, quam inscripsit de orationibus, quas Demosthenes pro Apollodoro scripsisse fertur, Berol. 1863, denuo pervestigavit et perficere conatus est. De iisdem orationibus nuper disputaverunt Joannes Sigg, (der Verfasser neun angeblich von Demosthenes für Apollodor geschriebener Reden. Jahrb. f. klass. Philol. Supplem. VI, 397—434). R. Dareste (Les plaidoyers civils de Démosthène traduits), R. Duncker (Inter privatarum causarum orationes Demosthenicas quae pro genuinis habendae sint quaeque pro falsis breviter exponitur. Greiffenberg 1877 Pars I.), P. Uhle (Quaestiones de orationum Demostheni falso addictarum Partic. I Diss. inaug. Lips. 1883). Sed nondum profligata et ad exitum perducta res est. Sunt enim hodie quoque inter viros doctos, qui illas orationes a Demosthene compositas esse censeant, in his Gebauer, qui editionem alteram orationum Lysiae selectarum ab Herm. Frohbergero explanatarum adornavit (Vol. I, ind. loc. s. v. Dem.), et Fr. Blass (die attische Beredsamkeit III, 1 p. 412 sqq.). Qui quidem Stephanianam I. (or. 45) Demosthenis esse putant, reliquas neque Demosthenis neque Apollodori esse exponere conatus est Blass l. l. p. 482 sqq. Hanc quaestionem sane difficilem cum initio mihi retractandam sumpsissem, postea satis habui exceptionem eam, quam pro Phormione Demosthenem scripsisse nemo adhuc negavit, ut possem emendare et explanare. Nec vereor, ne plane inutilem laborem susceperim. Nam etsi librum Parisinum 2934 (Σ), quem primus Imm. Bekkerus excussit a. 1823, denuo in Dindorfii, cum editionem Oxoniensem (a. 1846 emissam) pararet, usum Frid. Duebnerus eximia diligentia, ut ait Dind. praef. p. VI, contulit, 'tam purum tamque parum interpolationum labe infectum esse, ut nequeat ullus cum ipso comparari', Imm. Bekker (ind. oratt. Dem. editt. Tauchnitz. 1855

---

1) De or. 51, quam A. Schaeferus his orationibus adnumeravit, vid. Ad. Kirchhoff, Abhandlungen der Berl. Akad. 1865.

p. 311) affirmat, tamen pluribus locis non potui non recedere ab eius libri scriptura, ubi vel interpolata verba vel omissa vel scribae errore corrupta videbantur. In explananda autem oratione quid effecerim, facile iudicabunt, qui G. H. Schaeferi apparatum criticum et exegeticum, Lond. 1823—1826 inspexerint. Permagno mihi haec scribenti adiumento praeter Rehdantzii Indices Dem. fuerunt Schoemanni in Isaei oratt. XI commentarii, Gryphisw. 1831 et Frohbergeri editiones orationum Lysiae selectarum, Lips. 1865—1871. Praeterea editiones quas contuli hae sunt:

1) Oratorum Graecorum, quorum princeps est Demosthenes quae supersunt monumenta ingenii, ed. Jo. Jac. Reiske. Vol. II—V. Lips. 1770 sqq.

2) Demosthenis et Aeschinis quae exstant omnia illustr. G. Stephan. Dobson. Tom. I—X. Lond. 1828.

3) Demosthenis orationes ed. Imm. Bekker. Lips. 1854.

4) Demosthenes ex rec. G. Dindorfii. Vol. I—IV. Oxon. 1846.

5) Demosthenis orationes ex rec. G. Dindorfii. Lips. 1861.

6) Demosthenis opera ed. Theod. Voemelius. Paris 1878.

Reliquos quibus usus sum libros suo quemque loco commemoravi. De argentariis Atheniensibus in appendice breviter disputabo, non quod novi quicquam afferam, sed aut plane omissis iis metui, ne multa forent obscuriora, aut in interpretationem inclusis, ne parum procederet disputatio.

De rationibus, quae Phormioni cum Apollodoro intercesserunt, et oratione a Demosthene pro Phormione composita.

W. Hornbostel, Ueber die vom Demosthenes in Sachen des Apollodor verfassten Gerichtsreden. Ratzeburg 1851.

A. Schaefer, Demosthenes und seine Zeit. III, 2 p. 130—199.

Fr. Lortzing, de orationibus, quas Demosthenes pro Apollodoro scripsisse fertur. Berol. 1863.

Frid. Blass, Die attische Beredsamkeit III, 1 p. 404—409.

Pasio Apollodori pater servus fuerat Archestrati argentarii Atheniensis (Dem. 36, 45 (et 48) coll. Pseudoisocr. 17, 43), qui rebus rationibusque coniunctus cum Antisthene fuisse videtur, quare ambo domini Pasionis appellantur (Dem. 36, 43. 48 [2]).

---

2) Antisthenes etiam Lys. 7, 10 dicitur, quem eundem argentarium esse ideo veri simillimum est, quod paucis versibus ante Callistratus faenerator (Dem. 36, 13. 37) legitur.

Propter eximiam in negotiis gerendis operam, industriam, probitatem (Dem. 36, 43) manumissus suo nomine mensam in Piraeo (Pseudodem. 52, 8) instituerat. Anno a. Chr. n. 394, quo Pseudoisocratis oratio (17), quae inscribitur Trapeziticus, scripta est (A. Schaef. I p. 238)[3]), iam suae mensae praefectus et magna inter negotiatores auctoritate ac fide fuit. Nam Pythodorus Phoenicis filius (cf. Bensel. ind. nom. s. v. Pythodorus) Pasionem Sinopei filio commendavit, qui in mensa eius pecunias magnas deposuit (Pseudoisocr. 17, 4. 8) eique summam fidem habuit (ibid. 6), sed postea improbitatis eum incusavit, quod suis fortunis immineret (ibid. 8) et pecuniis creditis se fraudare conaretur (ibid. 2). Tum Pasionem inquilinum (*μέτοικον*) necdum in multis suis nummis fuisse apparet ex §§. 41 et 43. Sed praeter mensam mox scutorum officinam (*ἀσπιδοπηγεῖον*), quae saepius in eius bonis commemoratur (Dem. 36, 4 et alibi), exercuisse videtur, ex qua aliquando civitati Atheniensium mille clipeos muneri dedit (Dem. 45, 85). Quod ob donum aliaque beneficia in civitatem collata (Pseudodem. 49, 46; 52, 26) a populo Atheniensium ipse et posteri civitate donati (Dem. 36, 47 coll. Pseudodem. 59, 2; 46, 15; 53, 18) et in Acharnas pagum adscripti sunt (Dem. 45, 28). Negotiis florentibus, cum multi et cives et peregrini mensa eius uterentur (Dem. 27, 11. Pseudodem. 49 et 52) clarumque eius per universam Graeciam nomen esset propter fidem spectatam et amicitias cum multis conciliatas (Pseudodem. 50, 56), tantas opes sibi comparavit, ut in ditissimorum Atheniensium numero duceretur. Egregiam autem ei operam praestitit Phormio servus[4]), cuius fidei, cum litteris eum erudivisset artemque docuisset, magnam pecuniam administrandam credebat (Dem. 36, 46. 48; 45, 72. 33. Pseudodem. 49, 7. 17. 29. 31. 43; 52, 5 sqq.). Is, ut erat negotiorum bene gerens, multis in rebus domino utilem se praebebat et multa in eum conferebat beneficia (Dem. 36, 44. 49). Quorum ille beneficiorum memor non solum libertatem Phormioni dedit (ibid. 48), sed cum ipse aetate provectus parum

---

3) Benselerus Isocr. oratt. ind. nom. s. v. *Τραπεζιτικός* iudicat orationem anno a Chr. n. 392 scriptam esse; Blass l. l. II p. 210: „spätestens im Jahre 392."

4) Phormionem in Citti pueri (Pseudoisocr. 17, 11) locum successisse, qui suo nomine mensam instituisset (Dem. 34, 6), bene coniecit Perrot, Mémoires d'archéologie, Paris 1875 p. 409.

corpore valeret et impar muneribus obeundis esset (Pseudodem. 52, 13: ἐπειδὴ ᾔσθετο ἀδυνάτως ἤδη ἔχοντα τὸν πατέρα καὶ μόγις εἰς ἄστυ ἀναβαίνοντα καὶ τὸν ὀφθαλμὸν αὐτὸν προδιδόντα), etiam mensam et scutorum officinam locavit (fere Ol. 102, 2. 371 [5]) Dem. 36, 4. 51. Pseudodem. 46, 27) his condicionibus, ut ille mercedem annuam solveret duo talenta et quadraginta minas praeter cotidianam mensae administrationem (ἄνευ τῆς καθ' ἡμέραν διοικήσεως cf. τούτου διοικοῦντος Dem. 45, 33. Aliter Reiske interpretatus est). Atque mensa quidem centenis minis locata erat, talento autem officina (Dem. 36, 11). Simul pacti sunt, ne Phormioni argentariam seorsum facere liceret, nisi filiis eius id persuasisset [6]). Recte miramur, quod tanti Phormio conduxit, neque erat, cur Apollodorum pactionis paeniteret; nam octo annis post eadem illa, cum mensae fides atque existimatio addita esset, eodem vel minore pretio aliis faeneratoribus locare coactus est (Dem. 36, 12 coll. 37). Neque vero ille mensam dissolvit, cum multi mensarii nihil locationis pendentes, sed in suam ipsi rem quaerentes perirent (Dem. 36, 51). Nonne Phormionem aptissimum fuisse ad negotia illa administranda et mensam ipsam optime stetisse putabimus? Caruit enim propriis facultatibus, nisi quas post manumissionem congesserat ac reposuerat, nec a Pasione mensae sortem (ἀφορμήν) accepit praeter pecunias ab aliis in mensa depositas (τὰς παρακαταθήκας Dem. 36, 6), sed ipse Pasio undecim talenta se mensae debere pacto scripsit (ibid. 4; 45, 32). Quod quomodo factum sit, sic explicat Phormio (Dem. 36, 5 seq.): Non propter inopiam haec undecim talenta debuit, sed propter rei faciendae studium; facultates enim terrestres paene viginti talentum, argenti autem aliis mutui dati plus quinquaginta talenta erant. Sed de suo undecim talenta in mensa deposuerat; quae cum quaestuosa (ἐνεργά) vel aliis ad solum aedesque mutua data essent, tum e mensa exemit et suo nomine administravit. Nam Phormio pecunias ita collocatas si suscepisset, cum nondum adscitus in civium numerum esset,

---

5) Alcisthene archonte Ol. 102, 1. 372 Pasio ipse mensae praefectus fuit (Pseudodem. 49, 30. 59. 60. 62).

6) Dem. 45. 31. Tabulae locationis orationi insertae licet suppositae sint, qua de re cf. Sauppe, Berichte der Philologenversammlung in Halle 1869, tamen eas a veris non multum abhorrere ex ipsa oratione facile intellegitur.

exigere non potuit, quod per leges Atheniensium nemini nisi civibus licebat agros vel domos acquirere (K. F. Hermann, Staatsalt. §. 116, 2). His demptis ne nimis pecunia mensae credita deminueretur, ille se undecim talentum debitorem in locationis tabulas rettulit. — Paulo post cum Pasio in morbum incidisset (Dem. 36, 7. Pseudodem. 49, 42), testamento cavit, ut Phormio Archippam uxorem in matrimonium duceret (Dem. 36, 30. 51), cui dotis nomine talentum dedit e Peparetho, talentum ex Attica, aedes (*συνοικίαν*) centum minarum, ancillas et aurum et reliqua quae domi essent (Dem. 45, 28. 74); idem mensam et scutorum officinam conductas retineret et Pasiclis filii minoris tutelam acciperet (Dem. 36, 22). Rem familiarem indivisam relinqui, dum Pasicles sui iuris factus esset, tum filios aequabiliter inter se partiri voluit; Apollodorum filium maiorem, qui iam tum Diniae Athmonei filiam (Dem. 36, 17; 45, 56. Pseudodem. 50, 24) uxorem duxisse videtur (Rehdantz, vit. Iphicratis, Chabriae, Timothei, Berol. 1845 p. 192), interea de communi pecunia impensas, quae faciendae essent, tolerare (Dem. 36, 8); eidem partis praecipuae (*πρεσβείων*) nomine legavit aedes (*συνοικίαν* ibid 34). Testamentum exsecrationibus in caput eius, qui tabulas commutaret vel corrumperet, adiectis (ibid. 52) apud Cephisophontem Cephalonis filium Aphidnaeum deposuit (Dem. 45, 19). Ex omnibus autem, quae instituerat, hominis prudentia cognoscitur. Neque enim Apollodorum filium, quamquam erat aetate corroborata, locationum tutorem fecit, quem maiora concupiscere et parum ad mensae negotia gerenda idoneum esse bene iudicabat (Dem. 36, 51 coll. §§. 39. 42. 45. Perrot p. 409 sq.), sed libertum, cuius fidem et sollertiam expertus erat. Quod eidem uxorem suam viduatam nuptum collocavit, nec primus nec solus nec in ipsum aut filios contumeliose cavit, sed rebus suis optime consuluit (Dem. 36, 28 sqq.).

Paulo post Pasio Athenis (Dem. 45, 17) Dysniceto archonte Ol. 102, 3. 370 (Pseudodem. 46, 13) diem supremum obiit superstitibus praeter uxorem duobus filiis, quorum maior Apollodorus quattuor et viginti annos natus erat (Dem. 36, 22), Pasicles, quem spurium ex adulterio genitum esse Apollodorus (Dem. 45, 84) conviciatur, in tutelam Phormionis et Nicoclis (ibid. 37) pervenit. Cf. Dem. 36, 8 et Liban. argum. Archippa autem non confestim, sed biennio fere interiecto Phormioni nupsisse videtur; qua de re vid. Lortzing p. 3. Quod indignatus (*πολλ' ἀγανακτήσας*

καὶ χαλεπῶς ἐνεγκών (Dem. 45, 3 coll. 27) Apollodorus, qui illo ipso tempore trierarchiae causa in Sicilia afuerat, ubi primum rediit, vitricum privato iudicio accusaturus fuit, quod, ut ex Dem. 45, 3 init. apparere videtur, pecunias a patre sibi relictas non exhiberet; speraverat enim se patre mortuo simul fratris tutorem et matris patronum fore, ut omni patrimonio non secus ac suo uti posset. Sed propter bellum Thebanum (Lortzing p. 4. Aliter Hornbostel p. 20 n. 17) tum iudicia privata non fuerunt. De iustitiis v. K. F. Hermann, Staatsalt. §. 134, 2. Meier et Schoem. p. 152—154, ed. Lipsius p. 185 sqq. Itaque contumeliae (*ὕβρεως*) actionem publicam (Meier et Schoem. 323, Lips. 398) apud thesmothetas intendit (Dem. 45, 4). Interposita autem mora cum actio eluderetur, matris, quae ex Phormione liberos suscepisset, verbis blandis et Phormionis pollicitationibus se permotum esse dicit, ut in gratiam cum eo rediret. Haud scio an ipse causam agendi nullam et innocentem Phormionem esse cognoverit. Iam magno sumptu in ornandam navem facto, ut fortunam suam extolleret, communi re familiari profuse usus est et multa sibi consumenda esse putavit. Quare Pasiclis tutores pupilli causa pecunias inter fratres dividendas esse statuerunt et Apollodoro suam partem administrandam permiserunt (Ol. 103, 1. 368/367 cf. Lortzing p. 17); eorum, quae Phormio conduxerat, Apollodorus semissem redituum quotannis acciperet (Dem. 36, 8); pars altera Pasiclis bonis adiciebatur. Hac divisione Apollodorus praeter sex fere talenta (Sigg p. 413 sq.) pecunias, quas pater aliis crediderat (*χρέα* Dem. 36, 36. Pseudodem. 49, 43), exigendas suscepisse videtur, ita tamen, ut ipse sibi dimidio plus sumeret (Dem. 36, 36: *ἐκ μὲν τῶν χρεῶν ὁμοῦ τάλαντ᾽ εἴκοσιν εἰσπέπρακται ἐκ τῶν γραμμάτων ὧν ὁ πατὴρ κατέλιπεν, καὶ τούτων ἔχει πλέον ἢ τὰ ἡμίσεα*). Itaque fieri non potuit, quin multos civium et peregrinorum in ius vocaret (ibid. 20). Neque vero eum patris testamentum reprehendisse nec de divisione bonorum cum Phormione in simultate fuisse legimus. Phormionem non solum locationis condiciones servasse (ibid. 9: *οὐδὲ τὰς ἐπιγιγνομένας μισθώσεις ὡς οὐκ ἀπείληφεν ἔστ᾽ εἰπεῖν αὐτῷ*), sed etiam paterno animo in privignos fuisse existimandum est. Octo annis post Pasionis mortem (Ol. 104, 2. 362 cf. Dem. 36, 37) Pasicle sui iuris facto et in viros recepto, cum Phormio tutor esse desineret ac simul cederet locatione, fratres tutelae gestae rationem (*τὸν λόγον τῆς ἐπιτροπῆς* ibid. 20) probasse videntur

(Dem. 45, 37. 83) et omne ius contra eum agendi remiserunt (Dem. 36, 10). Eodem anno Phormio et Pasicles Apollodori testes fuere Timotheum a Pasione relictum esse debitorem eius argenti, quod ille a Timotheo postularet, argentumque pervenisse ad Apollodorum (Pseudodem. 49, 43). Iam Phormio suo nomine mensam instituisse videtur; nam etsi Pasionis pacto, nisi filii concessissent, ipse argentariam facere vetitus erat, tamen haud dubie Pasicles hanc veniam ei dedit, et Apollodorus, cum multis litibus implicitus Phormione teste egeret, non potuit non permittere; vid. Perrot p. 426. Fratres autem hereditatem sic diviserunt, ut maior natu, cui erat optio data, scutorum officinam eligeret, quae possessio a periculis tuta erat, mensa ad Pasiclem perveniret (Dem. 36, 11). Sed aliquanto post (*πολὺν χρόνον τοῦδ' ἀπηλλαγμένου* ibid. 35) veri simile est eos societatem inisse, qua mensam et scutorum officinam promiscue locarent. Nam eadem illa, quae Phormio habuerat, per decem annos Xeno et Euphraeus et Euphro et Callistratus sic conduxerunt, ut mercedem annuam solverent talentum (Dem. 36, 37 opp. 12: *τοῦ ἴσου ἀργυρίου*). Deinde Nicophemo archonte Ol. 104, 4. 361/360, post decimum annum quam Pasio mortuus erat, Phormio, quod rei publicae multa officia praestiterat (Dem. 36, 57), Atheniensium humanitate (ibid. 47) civitate donatus (Pseudodem. 46, 13) et pago Piraeensi adscriptus est, ut bene coniecit Lortzing p. 5 n. 2. Sub idem tempus (Pseudodem. 50, 60 cf. A. Schaefer p. 141) Archippa uxor, ex qua duos filios susceperat (Dem. 45, 75. 81 coll. 36, 32), de vita decessit. Quae, ut erat fortis et acris animi ac consilii plena, Apollodori insolentiam adeo continuerat, ut, dum ipsa vivebat, nulla actione vitricum persecutus sit neque quicquam ab eo repetierit. Ubi autem obiit, ille ex hereditate praeter duo milia drachmum, quae ipsa eius pueris dederat, tria drachmum et tuniculam quandam et ancillam postulavit (Dem. 36, 14). Quae res arbitrorum ultro electorum iudicio composita est, qui in arcem Athenarum congressi sunt et Phormioni persuaserunt, ut tria milia drachmum et reliqua, quae ille petiisset, daret et amicum eum habere quam propter ea inimicitias suscipere mallet (ibid. 15 sq.). Quo factum est, ut Archippae fortuna aequabiliter inter duos Phormionis pueros et Apollodorum et Pasiclem distribueretur (ibid. 32). His pecuniis acceptis Apollodorus in Minervae aedem cum Phormione convenit et iterum omnibus querelis eum liberavit (ibid. §§. 15.

32). Iam per complures annos cum in causis publicis saepius accusatoris partes susciperet (ibid. 53), vitrico negotia non facessivit atque adeo duo et semis talenta et sescentas drachmas e mensa eius mutuatus est, quae nunquam reddidit (ibid. 38). Sed etsi magnas opes coegerat — Phormionis computatione (ibid. 36 –38) plus quadraginta talenta efficiuntur —, tamen vita luxuriosa (ibid. §§. 39. 45) et insolentia atque intemperantia (ibid. §§. 42. 52) et liturgiis sumptuosis (cf. A. Schaefer p. 168), quibus conspicuus esset et civium oculos in se converteret (Dem. 45, 78), paene ad egestatem redactus est (Pseudodem. 50, 60 coll. 45, 56. 73. 75. 85). Quo quidem tempore (Ol. 107, 2. 350) Stephanus Eroeadensis Neaerae maritus ei diem dixit, quod pecunias theatrales (*τὰ θεωρικά*) in militum stipendia conferri auctor fuisset, res familiaris ne trium quidem talentum fuit (Pseudodem. 59, 4 sqq.). Quare ut rebus affectis subveniret, simul Phormionis fortunae invidens viginti fere annis post Pasionis mortem ei intendit actionem affirmans se ab illo fraudatum esse pecuniis, quas mensae sortem haberet (Dem. 36, 3; 45, 5). Pasio enim, ut supra commemoravimus, cum mensam locaret Phormioni, sese debere mensae undecim talenta pacto inscripserat. Quae debuisse patrem cum negaret Apollodorus, una cum usuris postulasse videtur (Dem. 45, 33). Huic petitioni ille exceptionem (*παραγραφήν*) opposuit (Dem. 36, 2. 23; 45, 5)[7]). Phormio igitur dandam esse litis actionem negavit, quod et rem antea inter se transegissent et tempus ad exigendam illam pecuniam lege concessum praeterisset (Dem. 36, 25 sq.). Sed ne eludere actionem moramve interponere videretur, leges proferre non satis habuit, sed se nihil omnino peccasse longiore oratione probavit (ibid. 2), quae inter Demosthenis orationes ad nostram

---

7) Quo facto, ut Buttmanni (Dem. Mid. excurs. XIII p. 165 edit. III) verbis utar, lis principalis differtur, donec de hac exceptione decretum est. *Παραγραφή* enim est, si reus dicit obstare aliquid, quominus lite agi possit; e. g. dicere potest reus iam prius latam esse sententiam de eadem re aut magistratum hac in re potestatem non habere; cf. Poll. VIII, 57: *παραγραφὴ δ' ἦν ἡ αὐτὴ καὶ παραμαρτυρία, ὅταν τις μὴ εἰσαγώγιμον λέγῃ εἶναι τὴν δίκην, ἢ ὡς κεκριμένος ἢ διαίτης γεγενημένης, ἢ ὡς ἀφειμένος ἢ ὡς τῶν χρόνων ἐξηκόντων, ἐν οἷς ἔδει κρίνεσθαι — δέον.* Plura de hac re disputaverunt Meier et Schoem. p. 693 sqq. et 644 sqq.; cf. Thalheim., K. F. Herm. Gr. Ant. II 1 p. 106 adn. 3.

memoriam permansit et inscribitur *Παραγραφὴ ὑπὲρ Φορμίωνος* (XXXVI). Ex hac ipsa oratione et illis, quas contra Stephanum Phormionis testem habuit Apollodorus (or. 45 et 46), simul apparet, quibus argumentis ille, qui petiit, actionem confirmare conatus sit. Negavit enim fieri potuisse, ut Phormio, nisi mensae sors (ἀφορμή) ei tradita esset, locationem reciperet, tantamque solveret mercedem (Dem. 45, 33) aut tantas divitias, quantas tum possideret, sibi compararet (ibid. 80). Quod quo pacto evinceret, sese non habere, cum matri a Phormione persuasum esset, ut Pasionis tabulas (τὰ γράμματα) auferret et exstingueret (Dem. 36, 18). Verum et locationem commenticiam, ut mensae sortem obtineret (Dem. 45, 47), et testamentum, quo dominam pristinam in matrimonium duxisset, falsum ac suppositum esse (Dem. 45, 29. 34 coll. 36, 33. Pseudodem. 46, 12); neque enim unquam patrem suum Atheniensium beneficio in civium numerum adscitum uxorem servo dedisse (Dem. 45, 35). Superiore tempore sese omnia illa concessisse neque iudicio persecutum esse, quod Phormio ipsi magnam locationis mercedem pensurum se pollicitus fuisset (Dem. 36, 33). — Apollodorus, cum ipse usu atque exercitatione quadam forensi esset, haud scio an speraverit vel ipsum causa victurum esse vel fore, ut Phormio homo iudiciorum imperitus et infacundus, id quod saepius antea fecerat, maiore pecunia cum ipso decideret. Sed longe aliter accidit ac putarat. Nam causa, cum ab arbitro publico, qui antequam res ad iudices deferretur cognoscere solebat, in Poecile porticu non esset diiudicata (Dem. 36, 18; 45, 10. 17), heliastarum iudicio permissa est. Phormioni, quod exceptione usus erat, prius apud iudices dicendi ius fuit (Dem. 45, 6 cf. Isocr. 18, 1: *φεύγων τὴν δίκην πρότερος λέγω τοῦ διώκοντος*). Neque vero ipse oravit, ut qui neque usu dicendi peritus nec natura facundus esset (Dem. 36, 1), sed pauca praefatus, quibus summam rei iudicibus enarraret peteretque, ut sibi propinquos (τοὺς ἐπιτηδείους ibid. §§. 1. 57) adoptare patronos liceret, causam ad illos detulit. Quamquam enim lex suam quemque causam ipsum dicere iussit, tamen medio saeculo a. Chr. n. quarto paulatim in morem venisse videtur patrocinio aliorum uti et causam deferre ad patronos (συνηγόρους); cf. Hyperid. p. Euxen. 25: *καίτοι τί τούτου τῶν ἐν τῇ πόλει βέλτιον ἢ δημοτικώτερόν ἐστι, πολλῶν καὶ ἄλλων καλῶν ὄντων, ἢ ὁπόταν τις ἰδιώτης εἰς ἀγῶνα καὶ κίνδυνον καταστὰς μὴ δύνηται*

ὑπὲρ ἑαυτοῦ ἀπολογεῖσθαι, τούτῳ τὸν βουλόμενον τῶν πολιτῶν ἐξεῖναι ἀναβάντα βοηθῆσαι καὶ τοὺς δικαστὰς ὑπὲρ τοῦ πράγματος τὰ δίκαια διδάξαι; Meier et Schoem. p. 707 sqq. Schoemann, Griech. Altert. I³ p. 515.

Orationem autem egregiam a Demosthene scriptam esse et testimoniis veterum confirmatur et omnes recentioris aetatis viri docti consentiunt. Quod ex Dinarchi c. Dem. oratione (§. 111: *εὑρήσετε γὰρ τοῦτον — ἀντὶ μὲν λογογράφου καὶ μισθοῦ τὰς δίκας λέγοντος ὑπὲρ Κτησίππου καὶ Φορμίωνος καὶ ἑτέρων πολλῶν πλουσιώτατον ὄντα* — verba *ὑπὲρ Κτησίππου καὶ Φορμίωνος καὶ ἑτέρων πολλῶν* spuria ac delenda esse censuit Blass Dinarchi oratt. praef. p. VII. —) conici licet, Demosthenem non solum scripsisse sed etiam habuisse orationem, testimonio Aeschinis acerrimi huius oratoris adversarii refutatur ac diluitur, qui de fals. leg. §. 185 ita dicit: *ἔγραψας λόγον Φορμίωνι τῷ τραπεζίτῃ χρήματα λαβών.* Sane Demostheni, si pro Phormione verba fecisset, id exprobrare non neglexisset. Cf. Plut. vit. Dem. et Cic. III: *χρηματίσασθαι τοίνυν ἀπὸ τοῦ λόγου Δημοσθένης μὲν ἐπιψόγως λέγεται, λογογραφῶν κρύφα τοῖς περὶ Φορμίωνα καὶ Ἀπολλόδωρον ἀντιδίκοις.* Pseudodem. 46, 1: *πανοῦργός τε γάρ ἐστι (Στέφανος) καὶ οἱ γράφοντες καὶ οἱ συμβουλεύοντες ὑπὲρ Φορμίωνος πολλοί.* (Lortzing p. 14).

Oratio, quam nobis interpretandam proposuimus, quinque illas quas antiqui rhetores praecipiunt partes ita habet, ut singulae partes non circumscriptae suis finibus sint aut alteram partem plane absolutam altera excipiat, sed saepius confundantur et quasi in unum coeant. Neque enim narratio et probatio omnino separari possunt neque refutatio tota suo loco disposita est, sed narratione facta prima refutationis pars praesumitur. Quae libera orationis dispositio non est neglegentiae oratoris tribuenda, sed iudicio et dedita opera sumpta, ut ieiunitatem dicendi reprimeret et fervidiorem orationem redderet. Haec autem est orationis summa:

I. Exordium (*προοίμιον*) et propositio (*πρόθεσις*) §. 1—3. Orator Phormionis imperitiam dicendi excusat, quod pro se ipse non dicat: familiarium esse ait, quae saepenumero a Phormione audierint, referre et exponere, ut iudices causa bene cognita atque intellecta decernant. Sed exceptione se non ideo usos esse, ut eluderent actionem, verum ut Phormio, qui nihil omnino deliquisset, negotiis ac molestiis Apollodori calumnia sibi

exhibitis iudicum sententia liberaretur. Iam rebus, quae inter Phormionem et Apollodorum intercesserunt, breviter ac summatim expositis indicatur id, quod propositum est, ex quo et calumniatum Apollodorum esse et actionem non dandam esse iudices intellecturi sint.

II. Narratio (διήγησις) §. 4—17. Ex tribus illis narrationum generibus, quae Cicero de inv. 1, 19, 27 statuit, orator id genus sumit, in quo ipsa causa et ratio controversiae continetur. Negotia enim, quae Phormioni cum Pasione et Apollodoro fuerunt, ita enarrat, ut argumentis singula confirmet et fidem auctoritatemque adiungat [8]). Ipsa autem narratio brevis et concisa est in iisque versatur, quae maxime rem causamque continent, adeo ut nonnulla parum plana ac perspicua sint. Ac primum tabulae recitantur, quibus Pasio Phormioni mensam et scutorum officinam locavit, unde appareat, quo factum sit, ut ille undecim talenta mensae deberet (§. 4—6). Deinde exemplar testamenti profertur, quo idem uxorem viduatam suam Phormioni nuptum collocaverat et filii minoris tutelam permiserat (§. 8). Postea fratres tutorum auctoritate rem familiarem inter se divisisse et Phormioni mensae locatione cedenti omnia postulata remisisse testimonio probatur (§. 9—10). Quo facto illos mensam scutorumque officinam sic partitos esse, ut hanc Apollodorus obtineret, mensam, in qua pecuniam propriam (ἀφορμήν) fuisse ille mentitus esset, Pasicli permitteret (§. 11). Mox eadem, pergit orator — nescio quo pacto communiter — Xenoni et Euphraeo et Euphroni et Callistrato locarunt nulla addita pecunia (§. 12—13). Post Archippae matris mortem Apollodorus tria milia drachmum a Phormione petiit. Qua controversia arbitrorum ultro electorum cognitione (γνώσει) composita Phormio iterum omnibus querelis liberatus est. His rebus transactis Apollodorus viginti talentum actionem instituere ausus est (§. 14—17).

III. Probatio vel confirmatio (πίστις) §. 18—27. Iam transit orator ad probationem, quod rerum narratione promiserat (§. 3) fore ut et Apollodori calumnia palam fieret et petitori non convenire actionem iudices intellegerent. Atque illud quidem probatur §. 18—22, hoc §. 23—27. Apollodorum ait prop-

8) Simillimae sunt Dem. adv. Nausimachum (38) et adv. Boeotum de nomine (39) orationes.

terea calumniari, quod de actione nihil aequi iustique dicere possit. Nam quod tabulas a matre abolitas esse perhibeat, facile argumentis eum mendacii coargui posse. Primum enim patrimonium non divisurum illum fuisse, nisi tabulas accepisset, unde quantum pecuniae a patre relictum esset cognosceret. Deinde si ipse matrem de abolitis tabulis non ausus esset accusare, certe Pasicli in viros recepto indicaturum fuisse, per quem illa convinceretur. Denique eum multos cives in ius vocasse, ut exigeret pecunias, quas debere eos pater in tabulis reliquisset; quae si abolitae fuissent, quibus e tabulis illos in ius vocatos esse? (§. 18—21). Maximum vero argumentum, quo Phormionem vacare culpa appareat, illud esse, quod Pasicles Apollodori frater illum neque in ius vocarit neque quicquam aliud ab eo petat. Atqui illum nihil iniuriae fecisse puero, cuius facultates in sua manu habuisset, Apollodoro autem, qui aetate firmata facile ulcisci posset, intulisse neminem esse, qui crederet (§. 22). His igitur argumentis ex re ipsa ductis orator et infirmans contraria et sua confirmans (Cic. de orat. 2, 81, 331) Apollodorum calumniatum esse probavit. Ad probandum alterum, quod dandam esse actionem negaverat, argumenta profert in re posita. Non enim legibus concessum erat litem ei intendere, quocum petitor semel transegerat, neque circumacto tempore ad accusationem praefinito. Has leges recitari iubet orator, ut actionem denegandam esse demonstret. Nam Apollodorum rationibus reputatis et interposito arbitrorum iudicio et omnibus rebus cum illo bis transactis litem intendisse et, cum quinquennium ad exigendum lege datum sit, amplius viginti annos praeterisse (§. 23—27).

IV. Refutatio (*λύσις*) §. 28—56. Refutatio maxime in eo versatur, quod, quae ab adversario contra dici possunt, ante occupare et refellere conatur. Illud Apollodorus insipienter opinatur, iudices aegre laturos esse, quod Phormio pristini domini sui uxorem in matrimonium duxerit. Nam argentarios servis libertate donatis uxores nuptum dedisse permulta sunt exempla. Quamobrem Pasio nec semet ipsum nec filios dedecoravit, sed mensae et negotiis optime providit. Atque matrimonium concessu ac mandatu illius factum esse non modo ex testamento cognosci licet, sed Apollodorus ipse testatus est, cum post matris mortem eius fortunam in quattuor partes dividi vellet (§. 28—32). Idem quod factum omnino esse a patre testamentum negabit

aut se antea litem non intendisse perhibebit, quia Phormio sibi magnam locationis mercedem se pensurum pollicitus sit, suis factis mendacii convincitur. Quo enim nomine aedes illas (συνοικίαν) a patre sibi natu maiori legatas possidet? Sin Phormionis pollicitationibus deceptus esset, cur illum in ius vocare neglexit, cum mensam et scutorum officinam aliis locaret, sed transactis rebus litem movendam esse existimavit? (§. 33—35). Iniuria autem lamentabitur, quod ipse omne patrimonium perdiderit, patris bona Phormio sibi arrogarit. Neque enim muneribus publicis magnae illae pecuniae, quas conflavit, consumptae sunt, sed ipsius vita turpi atque flagitiosa, neque Pasio bona a patre relicta possederat, sed cum Antisthenis et Archestrati servus fuisset, industria ac probitate eorum gratiam sibi conciliaverat. Pari modo Phormio, postquam domino multis in rebus utilem se praebuit, manumissus est et sua probitate et industria divitias paravit. Atque illa beneficia in se collata Pasio grato animo aestimavit et tametsi filius iam aetate corroborata erat, non eum, sed libertum locationum tutorem fecit eique uxorem despondit, Apollodorus contra nulla eius rei ratione habita calumniatur et iudicio eum persequitur (§. 36—52). Itaque rebus ab omni parte consideratis nihil est, cur hunc iudices condemnent et absolvant Apollodorum. Qui si vere accepisset iniuriam, cum et privatis multis actiones intenderet et publice cives in ius vocaret, hunc reum facere non intermisisset tam multos annos. Denique ut homo iste nequam et perditus est, sic Phormio et privatim et publice bonum ac probum se praestitit (§. 53—56).

V. Peroratio (ἐπίλογος) §. 57—62. Bipartita haec peroratio est; constat enim ex commiseratione (§. 57—59) et enumeratione (§. 60—62). Phormio et de omni re publica et de singulis civibus bene meritus iudicibus supplicat et precatur, ut se conservent neve Apollodoro proiciant. Et vero dignus est, cuius misereantur, quippe qui erga supplices semper humanus fuerit. At Apollodori verba, quibus se defendet, inania et calumniosa fore existiment; neque enim demonstrare poterit patrem non ita fecisse testamentum neque ullam aliam locationem esse neque Phormionem non absolutum a se omnibus querelis esse neque per leges licere res diiudicatas in iudicium vocare neque quicquam aliud. Quamobrem animos ne attendant verbis eius, sed ea meminerint, quae ab ipso audierint. — Formula, qua concluditur oratio, etiam alibi legitur.

Exitus causae Phormioni fuit prosperrimus. Habita enim oratione adeo iudicum animi commoti erant, ut ne vocem quidem Apollodori audire vellent et paene omnibus sententiis eum condemnarent. Qui, quod plus quattuor partes suffragiorum adversario obtigerant, sexta parte eius pecuniae, de qua actum erat, multatus est (Dem. 45, 6), i. e. tribus talentis et viginti minis[9]). Admiramur autem in hac oratione non tam narrationem quam dispositionem rerum et argumentandi sollertiam, qua Phormionem omnis iniuriae insontem et calumniose ab Apollodoro in ius vocatum esse evincitur et quae ab eo contra dici possunt refelluntur. Perrot Francogallus p. 435 sq. de oratione sic iudicavit: On retrouve dans ce discours les meilleures, les plus rares qualités du grand orateur. Rien n'est plus clair et mieux ordonné que le plan de cet ouvrage; l'inanité des prétentions d'Apollodore y est démontrée jusqu'à l'évidence, et l'insolente audace avec laquelle il les a produites est expliquée par les vices de son caractère. Dans la discussion des preuves et l'exposition des lois qui régissent la matière, on reconnaît la précision habituelle à Démosthène et le talent qu'il possède, comme Isée, de voir les choses de haut, d'en indiquer la cause et la raison philosophique. — Dans la manière dont ils (les arguments) sont mis en oeuvre, on reconnaît cette fière et dédaigneuse véhémence que Démosthène a fait si souvent sentir aux Philocrate, aux Démade, aux Eschine, à tous les pensionnaires de la Macédoine (Dem. 36, 45—48). In ea id ipsum, quo Demosthenes Lysiae excellit et Isaeo magistro, reperimus, calorem dico et impetum in animos penetrantem aptumque cum ad fidem faciendam tum ad commovendam misericordiam (R. Duncker, inter privatarum causarum orationes Demosthenicas quae pro genuinis habendae sint, Greiffenberg 1877 p. 3).

Omnia quae dicit orator argumentis confirmavit et videntur veri simillima, nisi quod, ut A. Schaefer p. 168 docuit, munera, quae rei publicae obierat Apollodorus, causidicorum more minoris quam par erat aestimavit (§. 39) et quod mensam scutorumque

---

9) Hanc multam *ἐπωβελίαν* vocant; cf. Harp. *ἐπιτίμιόν ἐστιν ἡ ἐπωβελία τὸ ἕκτον μέρος τοῦ τιμήματος, ὃ ἐπράττοντο οἱ γραψάμενοί τινας καὶ μὴ ἑλόντες αὐτοῖς τοῖς γραφεῖσιν· ἐκαλεῖτο δὲ οὕτως, ὅτι καθ' ἑκάστην δραχμὴν ὀβολὸς ἦν τῆς δραχμῆς λογιζομένης.* Plura de hac re disputaverunt K. F. Hermann §. 143, 15, Boeckh I² p. 479—488.

officinam tantidem (τοῦ ἴσου ἀργυρίου), quanti Phormio habuerit, postea Xenoni Euphraeo Euphroni Callistrato locata esse ait (§. 12), male consentit cum §. 37. Ceterum in tota oratione spirat Demosthenis animus ingenuus ac fervor, quo Lysiae et Isaeo magistro praestat, neque artem scribendi requiras. Nam etiamsi plures quam alibi hiatus insunt, tamen ita conformata est oratio, ut appareat illam ab eo esse scriptam, qui soleat plerumque vocalium concursum evitare (Benseler, de hiatu in oratoribus Atticis, Frib. 1840 p. 148; Blass l. l. III, 1, 97 sqq.). Quae in ea reperiuntur exempla, si exceperis vocabula *καί, ἤ, μή, καίτοι* et articulum velut *τοῦ ἴσου* (§. 12) et verbi formas in *αι* litteras exeuntes, velut *μεμαρτύρηται ὑμῖν* §§. 6. 7. 21. 25, *ἀναγνώσεται ὑμῖν* §§. 21. 40, *θεῖναι αὐτόν — συκοφαντεῖσθαι ὑμᾶς — εἶναι εἰσπράξασθαι* §. 27 — non pertinent huc *νέμεσθαι ὄντων* §. 32, *εἰσπέπρακται ἐκ* §. 36, *ἀργυρίου οὐ* §. 12, *ἔτη ἱκανόν* §. 27 et alia — cf. Rehd. Dem. Ind. I, Hiatus, haec fere sunt: *αὗται εἰσιν* §. 4, *ἐγράφη εἰς* §. 6, *τούτῳ ἀπεδίδοσαν* §. 9, *τραπέζῃ ἴδια* §. 11, *ἴσου ἀργυρίου* §. 12, *ἔτη ἐστίν* (Voemel *ἔτη 'στίν*) *ἐξ ὅτου ἐνείμω* §. 19, *ἄλλου ἕνεκα—ἐπειδὴ ἀδύνατον ἔγνω ὄν* §. 27 cf. *ἔγνω ὁ* §. 60, *Αἰγίνῃ ἔδωκε — ἑαυτοῦ οἰκέτῃ* §. 29, *σαυτοῦ εἶναι* §. 31, *ἀληθῆ ἦν* §. 35, *ἐνιαυτοῦ ἑκάστου* §. 37 (bis), *αὐτοὶ ἑαυτοῖς* §. 51, *τούτῳ ἀνθρώπῳ* §. 58, *τρόπου ἐπιεικείᾳ* §. 59.

De tempore denique, quo oratio habita est, assentior Lortzingio p. 14—18, quamquam non omnibus in rebus ratiocinatio eius mihi probatur. Pasionem enim constat Ol. 102, 3. 370 mortuum esse. Antea autem (c. Ol. 102, 2. 371) mensam Phormioni locaverat et undecim illa talenta, de quibus res agitur, se mensae debere scripserat. Itaque cum §. 26 legamus plus viginti annos praeterisse, ex quo tempore Pasio sortem in mensa collocavisset, neque petiisse eam Apollodorum, res Ol. 107, 3. 350/349 acta est. In quo anno quominus acquiescamus, nihil obstat. Nam paene viginti anni (*ἐτῶν ἴσως εἴκοσι* §. 38) vel duodeviginti ipsi anni (§. 19) intererant inter causam et priorem rei familiaris divisionem tutorum auctoritate factam (§. 8). Quod autem mensa octo annos Phormioni erat locata, postea aliis decem annos (§. 37), non est verum argumentum. Quid enim? Aliquanto ante hanc orationem fratribus redditam mensam esse bene observavit Lortzing. Quem ipsum fugit a Xenone et Euphraeo et Euphrone et Callistrato mensam non confestim

ex Phormione, sed multo post conductam esse; cf. §. 12 sq.: *μισθῶν ἑτέροις ὕστερον — ἐμίσθωσαν ὕστερον*, §. 35: *οἳ χρόνον πολὺν τοῦδ' ἀπηλλαγμένου μισθωταὶ τούτοις ἐγίγνοντο τῆς τραπέζης καὶ τοῦ ἀσπιδοπηγείου*. Stat igitur orationem non ante Ol. 107, 3. 350/349 habitam esse. Cf. Sigg p. 406—408 et Blass p. 405 n. 2.

Adnotatio critica.

In verbis oratoris purgandis vel emendandis perpauca mihi praesto erant subsidia. Nam cum codices conferre mihi non vacaret, feci, ut varias librorum meorum scripturas examinarem et quae codicum auctoritate et grammaticorum praeceptis optima visa esset, eam reciperem. Simul quae viri docti antea in hac oratione elaborarunt quaeque ipse mutanda esse iudico enotavi nec metuo, ne alterius coniecturam meo nomini addixerim. Saepius autem contigit, ut ipse in coniecturam inciderem, quam ab alio iam factam esse postea vidi. Ubi codicum lectiones commemoratae sunt, eisdem, quibus G. Dindorfius in editione Oxoniensi a. 1846 designavit, siglis usus sum. Est enim

S codex Parisinus 2934, quem omnium longe optimum esse constat,

A codex qui dicitur Augustanus primus, nunc bibliothecae regiae Monacensis 485, tertiae codicum classis, ut ait Dindorfius, princeps,

F codex Venetus Marcianus 416, secundae classis princeps,

Q codex Venetus bibliothecae Marcianae 418, quem eadem cum Veneto F origine esse idem vir doctissimus iudicat praef. XIV,

r codex Parisiensis regius 2936, qui paene ubique cum membranis Augustanis (A) consentit.

Or. §. 5. *ἔγγειος*] Dind. et Voem.; *ἔγγυος* Bekk. (et Dobson). Cf. Boeckh, Staatshaush. I, 143 n. 621: „Die Handschriften geben bald das erstere Wort (*ἔγγυος*), für welches sich Salmasius entscheidet, bald das letztere (*ἔγγειος*): beide scheinen im Gebrauche gewesen zu sein, aber wo jedes richtiger stehe, lässt sich schwerlich entscheiden". Quaeritur igitur, quae sit utriusque vocis vis et usus. *ἔγγυος* ab *ἐγγύη* nomine, quod est sponsio vel cautio (cf. Pseudodem. 33, 10. 23 sqq.; 46, 18; 53, 27), ductum pro appellatione dicitur Xen. Vect. 4, 20: *λαμ-*

βάνειν ἐγγύους (sponsores), pro adiectivo nusquam, si optimos codices sequimur. Nam quem locum Papius laudat, Lys. 32, 15, nunc Westermanno auctore legitur *ἐγγείους* (cf. Frohberger ad h. l.), quod adiectivum scriptum est Pseudodem. 33, 3: *ἄλλου δὲ συμβολαίου οὐκ ὄντος ἐμοὶ πρὸς τοῦτον οὔτε ναυτικοῦ οὔτε ἐγγείου.*; 35, 12. Lys. fr. 91: *ὁ νόμος κελεύει τοὺς ἐπιτρόπους τοῖς ὀρφανοῖς ἔγγειον τὴν οὐσίαν καθιστάναι.* Ceterum Bekk. iis locis, quos ex Pseudodemosthene laudavimus, scripsit *ἔγγυος*. — §. 6. *τὴν ἐργασίαν αὐτὴν τὴν τῆς τραπέζης*] Voem.; *τὴν* post *αὐτὴν* om. Bekk. ex S; *ταύτην* Dind. contra S A r. Cf. §. 13: *τὰς παρακαταθήκας καὶ τὴν ἀπὸ τούτων ἐργασίαν αὐτὴν ἐμισθώσαντο.* Opponuntur enim inter se pecunia mensae credita et quaestus pecuniae; de quaestu orator nondum dixerat, ad quem pronomen *ταύτην* referendum esset. Cf. Krueg. gramm. Graec. §. 51, 7, 2. — *αὐτῷ*] Dind.; *αὑτῷ* Bekk. et Voem. At vid. Buttm. Mid. exc. X. — §. 7. *πρόκλησιν ταύτην*] Bekk. et Voem. ex S A r; *ταυτηνὶ* Dind. Item § 40. — *παρ' οἷς αἱ διαθῆκαι κεῖνται*] verba interpolata et a vetusto quodam scholiasta margini adscripta postea a librariis textui inserta videntur. Primum enim *οἷς* referendum est ad *ταυτασί*, quasi antecedat *τούτων*, cuius constructionis, quam vocant *σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον*, vix unum apud Demosthenem reperitur exemplum. Non enim huc pertinet 18, 92. Altero autem loco, quo *αὐτοῖς* pro *αὐταῖς* legitur (16, 25), oratoris animo cives earum urbium, quas ante dixerat, obversantur. Deinde ut omittam subitas numerorum vices (*τῆς διαθήκης, αἱ διαθῆκαι, τὴν διαθήκην*, cf. Dem. 45, 9—11), parum gratiae habent verba male sonantia *διαθῆκαι κεῖνται*. Denique hic non eorum, apud quos Pasio testamentum deposuerat, testimonia — erat autem apud unum Cephisophontem depositum (Dem. 45, 19) —, sed illorum, qui adfuerant provocationi, recitantur. — §. 8. *τούτοις ἐξελόντας τὰς ἀντιμοιρίας*] sic locum perdifficilem legendum esse ex codd. A r bene iudicavit Reiske, *τούτους ἐξελόντας ἀντιμοιρεί* Dind. ex S, qui exhibet *ἀντιμοιρει* (accentu deficiente). Quae lectio, ut alia omittamus, ob id ipsum suspecta est, quod *τούτους* intellegi tutores, de quibus modo dictum est, a sermonis Graeci consuetudine abhorret. *τούτοις ἐξελόντας ἀντιμοιρεί* Bekk. et Voem. Mentem oratoris Voemelius optime assecutus est: 'si secundum testamentum, quantas iste de communibus pecuniis sumeret, tantis ex aequo et

pari his ratione demptis reliqua dividenda essent'. At nec verbum ἐξαιρεῖν cum dativo iunctum, quod voluit H. Wolfius, exemplo probari poterit et ἀντιμοιρεὶ adverbialiter dictum novum atque inauditum est. — §. 9. ἐπιγιγνομένας] Voem. ex S F Q. Cf. Krueg. §. 53, 2, 9. ἐπιγενομένας Dind. et Bekk. — §. 11. καί τις] Voem. ex S; ἰδία τις Dind. et Bekk. Illud, ut est rarior locutio, maiorem speciem auctoritatis prae se fert quam hoc, quod ex verbis infra sequentibus χρήματα τῇ τραπέζῃ ἴδια et ἰδίαν ἀφορμήν §. 12 sq. petitum videtur esse. — οὗτος] Bekk. et Voem. ex S; οὑτοσί Dind.; om. A r. — §. 12. μηδὲν ἐγκαλοῦντα] Dind. et Bekk.; μηδ' ἐγκ. Voem. ex S, qui exhibet μηδὲ ἐγκ. Quae lectio quominus mihi probetur maxime obstat, quod non video, quid intellegi ex verbis μηδὲ ἐγκαλοῦντα φαίνεσθαι voluerit orator. Quidni μηδὲ ante verba ἐν τῇ νομῇ positum esse malis? At μηδὲν intellegendum est μηδεμίαν ἀφορμήν; cf. infra ἐγκαλοῦντ' ἀφορμήν. — §. 13. ἀπεστέρητο] Dind. et Bekk. ex coniectura Schaeferi. ἀπεστερειτο (sic!) S; ἀπεστεροῖτο Voem. ex ἀποστεροῖτο F Q. Quod equidem non intellego. — καὶ ὡς τὸ ἀσπιδοπηγεῖον εἵλετο] ista verba delenda esse H. Schaeferus iudicavit, quia ab hoc loco essent aliena. Et recte. Nam si vera essent, duas res easque diversissimas uno testimonio confirmari iussisset orator. Neque Apollodorum scutorum officinam, non mensam sibi elegisse tanti momenti est, ut hoc loco confirmetur testimonio. Accedit, quod ab oratorio loquendi usu abhorrebat post λαβέ μοι alterum enuntiatum, quod summam argumenti significaret, adicere. Qua de lege unum excipitur Lys. 22, 9. — §. 14. πάντ' ἀκριβῶς ταῦτ'] Voem. et Bekk. ex S; πάντα ταῦτ' ἀκριβῶς Dind. ex A r. Cum priore scriptura cf. Lys. 4, 2: περὶ πάντων ἡμᾶς τούτων συνήλλαξαν. — §. 15. αὐτὸν εἶναι] Dind. et Voem. ex S; εἶναι αὐτὸν A r; αὐτὸν excidit apud Bekkerum. — §. 16. ἀφίει] Bekk. hoc loco et §. 24. ἠφίει Dind. et Voem. Codices modo hoc modo illud exhibent; vid. Dind. ad 21, 79; 36, 24; Rehd. ad 3, 5; Krueg. §. 38, 1, 4. — §. 20. κατέλιπεν] Dind. et Bekk.; κατέλειπεν Voem. ex S. Item §. 36. — §. 21. τὰ γράμματα] Dind. et Bekk.; τὸ γράμμα Voem. ex S. — §. 24. ἵν' οὖν εἰδῆθ'] Dind.; ηδητε pr. S.; ἴδητε Bekk. et Voem. ex corr. S. Item Dem. 18, 118: ἵνα τοίνυν εἰδῆτε Dind., West., I. H. Lipsius; ἴδητε Bekk. et Voem., ιδῆτε S, ut adnotat Dind., ἴδητε pr. S corr. recens viridi colore in εἰδῆτε ex Voem. Cf. etiam

19, 254 ibique Voem. et 24, 27: ἵν' εἰδῆϑ' Dind.; ἴδηϑ' Bekk. et Voem.; ἴδηϑ' S. At 24, 62: ἵν' οὖν τοῦτ' εἰδῆτε omnes. Lys. 17, 8: ἵν' οὖν εἰδῆϑ' ὅτι. — §. 25. εἴποι τοῦτο] Dind. et Voem. ex S A r; τοῦτο excidit apud Bekk. — §. 27. καὶ ἅμα] Dind. et Bekk.; καὶ ἅμα καὶ Voem. ex S. — μάρτυς εἴη] Dind. et Bekk.; μαρτυρησείη Voem.; μαρτυρησει η (sic.) S. — §. 30. καὶ ἑτέρων πλείω κτήσασϑαι καὶ] verba suspecta mihi et delenda videntur. Declarant enim idem, quod est χρηματίσασϑαι, cuius ubertatis et abundantiae hoc loco, cum placide orator argumentetur, nulla causa est, nisi forte non perspicere iudices, quid esset χρηματίσασϑαι, putavit. Coniecturae meae favent A r, a quibus codicibus verba καὶ — κτήσασϑαι absunt. — §. 31. βεβουλευμένον αὐτὸν] Dind. et Voem. ex S A r; αὐτὸν βεβουλευμένον Bekk. cum vulg. — ἀναίνει — ἡγεῖ] Dind. et Voem. ex S; ἀναίνῃ ἡγῇ Bekk. Item ἀναίνει infra, λογίζει §. 45, αἰσϑάνει §. 48, παύσει καὶ γνώσει §. 52. — §. 32. τῷ τὸ] Dind.; τῷ addidit Reiske, om. Bekk. et Voem. Sane vocabulum aliquod causam designans, quale inseruit Reiske, requiritur. — §. 34. ὡς ἃ μὲν] ego. ωσαμὲν (sic.) pr. S; ὡς ὅσα μὲν Dind. et Bekk.; ὅσα μὲν Voem. — §. 35. ὡς τοίνυν ἀληϑῆ] Dind. et Voem. ex S; ὡς τοίνυν ταῦτ' ἀληϑῆ Bekk. et vulg. — §. 36. ὀδυρεῖται] recte Dind.; ὀδύρεται Bekk. et Voem. ex S F Q. Sic ὀδύρεσϑαι pro ὀδυρεῖσϑαι A S r Dem. 37, 48 (Dind.). Futuri tempus recipies, si comparaveris §. 41 ἀλαζονεύσεται καὶ τριηραρχίας ἐρεῖ καὶ χορηγίας et 21, 186: οἶδα τοίνυν ὅτι τὰ παιδία ἔχων ὀδυρεῖται καὶ πολλοὺς λόγους καὶ ταπεινοὺς ἐρεῖ. Vid. etiam 21, 29; 20, 1. — κατέλιπεν] Dind. et Bekk.; κατέλειπεν Voem.; κατελειπεν S. Vid. ad §. 20. Sic etiam alibi, velut 27, 9. 11. 32. 49. — πλέον] Dind. et Voem.; πλεῖον Bekk. ex S. Editores parum sibi constanter nunc hoc nunc illud exhibent; vid. Dind. ad p. 503, 18 (= 20, 152). Bekkerus quidem scripsit πλέον §§. 26. 38; 27, 11. 22. 44; 42, 5. 7. 28. 30 etc. πλεῖον 27, 9; 28, 18; 40, 20; 41, 18. 25. 27; 42, 20; 43, 69 etc. Cf. Krueg. §. 23, 7, 4. — τὰ ἡμίσεα] vulg.; τὰ ἡμίση editores omnes ex S; ἡμίσια A. Cf. 27, 18: τὰ ἡμίσεα τῶν ἀνδραπόδων Dind. et Bekk. consentientibus, ut videtur, codicibus; at Voem. τὰ ἡμίση praebet. 27, 62: τὰ ἡμίση τῶν χρημάτων S et editt., ubi vid. Dind. Cf. Kuehn. Gr. Gr. I p. 345 adn. 11. — ἀπεστέρει] bene Dind. et Voem. ex S.; ἀποστερεῖ Bekk. Imperfecti tempus exigit

loci sententia. — §. 38. *νεμηθείσης*] Dind. et Voem. ex A r; *νεμιθείσης* pr. S. *νεμεθείσης* Bekk. Cf. Veitch, Greek Verbs, s. v. *νέμω*. — *τάλαντον τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου*] post haec verba aliquid, velut *καὶ δισχιλίας*, intercidisse Voemelius coniecit, quia quae hoc loco de locationis mercede dicuntur, pugnant cum §. 12. Sed nihil excidit. Perrot p. 412 adnotat repugnantia locorum optime explicari a Dareste viro Gallorum doctissimo: Les plaidoyers civils de Démosthène, t. II p. 168 n. 19. — §. 38. *δ' ἅπαντα*] Dind. et Voem. ex A r; *δὲ ἅπαντα* S; *δὲ πάντα* Bekk. et vulg. — §. 40. *ταύτην*] Bekk. et Voem. ex S; *ταυτηνὶ* Dind. Vid. ad §. 7. — §. 43. *καὶ ὧν ἐρωτήσειν ἔφησθα, πόθεν τὰ ὄντα κέκτηται Φορμίων*] verba secludenda esse censeo. Quid enim novi adiciunt, quo oratio progrediatur? Nonne aliquid inepti atque insulsi habent et inter se pugnant? Ubi Apollodorus dixit se ex Phormione quaesiturum esse, unde possideret rem familiarem? An ante actionem de argumentis, quibus se defensurus esset, cum illo collocutus est? Atque offendit verbum *κέκτηται* iteratum et nomen Phormionis alteri membro appositum abhorret a Demosthenis consuetudine. Denique unde pendeat, quid valeat *ὧν* genetivus, equidem non video. At deletis verbis quanto evidentior oratio et magis perspicua est! Iam verba *ὡς ἐκ τῶν τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ κέκτηται* pendent ex sequentibus *σοὶ τοῦτον οὐκ ἔνεστ'* (sic recte Dind. et Voem. ex S; *ἔνεστιν* Bekk. cf. §. 9) *εἰπεῖν τὸν λόγον,* neque est, cur ad Frohbergeri (ad Lys. 13, 65, p. 418) interpretationem parum probabilem confugiamus, qua his verbis nomen, quod propositum esset (*περὶ τῆς εὐπορίας*), explicari statuit. — *σεαυτὸν*] Dind. et Bekk.; *ἑαυτὸν* Voem. ex S. Vid. Dind. ad §. 31. — *ἀσελγῶς ὥστε*] Dind. recte ex S; *ἀσελγῶς* [*οὕτως*] *ὥστε* Voem.; *ἀσελγῶς οὕτως ὥστε* Bekk. *οὕτως* neque opus est et quasi claudicans sequitur. — §. 46. *ποιεῖς ἀνάγκην*] Dind. et Voem.; *ποιεῖς σ' ἀνάγκην* Bekk. ex F Q. Pronomen *σ'* quid hoc loco sibi velit, equidem non intellego. — §. 47. *ἃ τῆς*] Voem.; *ἃ διὰ τῆς* Dind. et Bekk. ex S. Apparet *διὰ τῆς τούτων φιλανθρωπίας* idem valere quod *τῆς τούτων φιλανθρωπίας ἀπολαύσας*. Quare *ἀπολαύσας* verbum abundanter appositum videtur esse. Atqui non hoc verbum spurium et secludendum esse nemo non intellegit, sed *διὰ* ab interprete aliquo ad verbi vim explanandam adscriptum est. — §. 48. *αἰσθάνει*] Dind. et Voem.; *αἰσθάνῃ* Bekk. Cf. ad §. 31. — *ὑπόλογον*] Dind. et

Bekk. auctore Reiskio scripserunt; *ὑπὸ λόγον* Voem. cum vulg. — *ὡς ἐγένετο Πασίων Ἀρχεστράτου*] verba interpolata. Nam et ab oratorum usu loquendi abhorrent (vid. ad §. 13) et repugnant verbis, quae antecedunt *ὅτι κἀκεῖνος ἦν τινῶν*. Maxime vero interpolatorem produnt nomina propria. — §. 49. *ἐκβαλεῖν*] Dind. et Voem. ex S A r; *ἐκβάλλειν* Bekk. et vulg. Contra 21, 115 *ζητῶν με ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς πατρίδος* recte legebatur, editores recentiores *ἐκβάλλειν* ex F S receperunt. Cf. ibid. 122: *χρήματ' ἀνήλισκεν ἐπὶ τῷ μετ' ἐκείνου κἀμὲ προσεκβαλεῖν ἀδίκως* omnes codd. et editt. Krueg. §. 53, 1, 10. — §. 50. *Ἀριστόλοχον*] Dind. et Voem. ex S; *Ἀρχίλοχον* Bekk. et vulg. — *ἄμεινόν σου*] Dind. ex A S; *ἄμεινον σοῦ* Voem.; *σου* excidit apud Bekk. Sed malim Voemelii scripturam. — §. 51. *κατέλιπεν*] vid. ad §. 36. — *καὶ ἑαυτῷ*] Dind. et Voem. ex S; *καὶ αὑτῷ* Bekk. et vulg. Item postea *αὐτοὶ ἑαυτοῖς* Dind. et Voem. ex S; *αὐτοὶ αὑτοῖς* Bekk. et vulg. — §. 52. *τοῦ σοῦ πατρ.*] Dind. et Voem. ex A S r; *σοῦ* om. Bekk. — *συκοφαντεῖς, διώκεις*] Dind. et Voem. ex A S r; *διώκεις, συκοφαντεῖς* Bekk. — *παύσει καὶ γνώσει*] Dind. et Voem. pr. S; *παύσῃ καὶ γνώσῃ* Bekk. ex vulg. Vid. ad §. 31. — *φής*] sic rectius scribi quam *φῄς* docuit Cobetus ad Hyper. or. ed. II, p. 108. — §. 53. *διὰ τί*] Voem. restituit ex *διατὶ* A S r; *διότι* Dind. et Bekk. Cf. Dem. 40, 26. Lys. 14, 41. Krueg. §. 51, 17, 2. — *ὅτι — ἐγκαλεῖς;*] Dind. et Bekk.; *ὅτι οὐ — ἐνεκάλεις, ἀλλ' — αἰτιᾷ;* Voem. ex S A r. Illa lectione multo acrior et vehementior oratio fit, haec accuratius inspicienti dubium esse non potest quin interpretis manu depravata sit et a vera Demosthenis recedat. Etenim negatio *οὐ* non ante *πλησίον* ponenda fuit, sed ante *ἐνεκάλεις* verbum, quod ipsum aut aoristi aut perfecti tempore eguit. Sed haec oratio alternis quaestionibus et responsis conficitur et ad ea, quae ironice orator quaesivit, verbis *ἀλλ' ἔτεσι καὶ χρόνοις ὕστερον αἰτιᾷ* ipse respondet. De particulae *ἀλλά* usu cf. Dem. 18, 24: *τί γὰρ καὶ βουλόμενοι μετεπέμπεσθ' ἂν αὐτοὺς ἐν τούτῳ τῷ καιρῷ; ἐπὶ τὴν εἰρήνην; ἀλλ' ὑπῆρχεν ἅπασιν. ἀλλ' ἐπὶ τὸν πόλεμον; ἀλλ' αὐτοὶ περὶ εἰρήνης ἐβουλεύεσθε* ibique West. — *τοῦ νῦν ὄντος ἐν Σικελίᾳ*] haec verba non Demosthenis, sed grammatici alicuius manu profecta esse coniecit Ioh. Sigg, Jahrbb. f. klass. Philol. VI, 409. Nam cum vere anni 350 Callippus Sicilia excessisset et Rhegium urbem occupasset, negat oratorem Ol. 107, 3. 350/349,

quo anno orationem pro Phormione habitam esse pro explorato habemus, mentionem facere potuisse *Καλλίππου τοῦ νῦν ὄντος ἐν Σικελίᾳ*. Blass III, 1 p. 405 n. 2 assentitur Lortzingio, qui A. Schaeferi auctoritate nixus Callippum ante Ol. 107, 3. $3^{50}/_{49}$ non perisse affirmat, ut ab oratore facile etiam tum vivus dici possit. Siggi argumentatio etsi speciosa atque evidentissima videtur, tamen a grammatico apposita ista verba esse quis credet? Unde repetiit hanc notitiam? Nonne cuivis primum haec legenti putabimus in mentem venisse illius Callippi Lamptrensis, cui Apollodorus repugnat or. 52? Quamquam illum Callippum ab eo, de quo hic orator dicit, plane diversum esse inter omnes constat. Itaque potius hoc concesserim, Demosthenem res nuperrime in Sicilia gestas nondum comperisse, quam ut ista verba grammatici esse credam. — §. 54. *φῄς*] vid. ad §. 52. — §. 55. *εἰκότως ἂν*] Dind. et Voem. ex A S r; *ἂν εἰκότως* Bekk. et vulg. — *τρόπον. λέγε*] post v. *τρόπον* vocabulum aliquod velut *λέγε* excidisse bene vidit Reiske. Nam orator, ubi quid tabulis firmari vult, ipsum scribam alloquitur; cf. exempli gratia 20, 44. 95. — Iam quae sequuntur verba quid valeant, quae Demosthenis ipsius sint, dubium controversumque est. Primum enim titulum delendum esse censuit H. Schaefer. auctore Reiskio sic adnotante: 'Non video, quare hi testes producantur qua de re testaturi. Non enim de Apollodori testantur improbitate. Nam de ea testantur testimonia, quae v. 22 iubentur recitari. Neque de probitate Phormionis, cuius demonstrandae ergo v. 23 testimonia feruntur. Atqui praeter haec duo nil aliud promiserat orator testimoniis patefacturum'. Sic Reiskius. Voemelius prima testimonia statuit de probitate Phormionis recitari, altera et tertia de Apollodori improbitate, postrema de Phormionis publicis actis. In quo vehementer erravit vir doctissimus. Neque enim de eadem re, dico de Apollodori improbitate, duo deinceps testimonia recitari probabile est et tertia, quae recitantur, testimonia ad alium spectare atque altera aperte declarant verba *ἆρ᾽ οὖν ὅμοιος οὑτοσί; σκοπεῖτε*. Mihi quidem haud dubium est, quin duo testimonia priora de Apollodoro recitentur atque ita quidem, ut prius eorum ad causas publicas pertineat, alterum ad mores improbos, posterioribus ordine inverso Phormionis et probitas et beneficia in rem publicam collata demonstrentur. — §. 56. *Ἴθι δὴ καὶ τὰς τῆς πονηρίας*] sic equidem scribendum esse suspicor. *Ἴθι δὴ καὶ τὰς πρὸς Ἀπολλόδωρον τῆς*

πονηρίας codd. et editt. omnes. H. Schaeferus iudicavit et *καὶ* vitiose additum esse et post *ἴθι δὴ* imperativum excidisse, quo accusativus sequens regeretur. Dindorfius contulit Pseudodem. 40, 19: *ἴθι δὲ* (legendum *δή*; vid. quae infra ad §. 26 adnotavimus) *λαβὲ καὶ τὸν περὶ τῆς προικὸς νόμον τουτονί.* Sed nihil deest, si post v. *τρόπον* excidisse *λέγε* statuimus. Cf. Dem. 18, 105 sq. Ad *τὰς* audiendum est *μαρτυρίας*; cf. Dem. 23, 178; 57, 32. De genetivo *τῆς πονηρίας* infra ad §. 26 plura exempla attulimus. Pro verbis *πρὸς Ἀπολλόδωρον,* quae si vera essent, certe *ἀνηκούσας* vel simile aliquid audiendum esset, H. Schaeferus commendat *τὰς τῆς Ἀπολλοδώρου πονηρίας.* At spuria et delenda sunt, quia iam antea de Apollodoro testimonia recitantur. — §. 59. *ἀλλὰ νῦν*] Dind. et Bekk.; *ἀλλά τοι νῦν* Voem. ex *τοίνυν* S nimia eius codicis observantia. — §. 60. *λόγους καὶ συκοφαντίας*] haec Reiskii coniectura adhuc nimis neglecta est. Adnotat enim: 'aut cum Augustano (et r) delendum est *καὶ* aut leg. *λόγους καὶ συκοφαντίας,* id quod malim'. Codices et editores omnes exhibent *λόγον καὶ συκοφαντίας.* At multitudinis numerum et alterum nomen *συκοφαντίας* desiderat et sententia loci exigit: an quisquam vere putabit Graecum esse illud *τὰ μὲν πολλὰ ὧν Ἀπολλόδωρος ἐρεῖ εἶναι λόγον*? Et plurali favet communis consuetudo sermonis, si huic nomini vis verborum inanium subest; cf. Dem. 2, 12: *ὅπως μὴ λόγους ἐροῦσι μόνον οἱ παρ' ἡμῶν πρέσβεις.* 9, 41: *ἐγὼ δηλώσω, οὐ λόγους ἐμαυτοῦ λέγων, ἀλλὰ γράμματα τῶν προγόνων τῶν ὑμετέρων.* 30, 34: *οὐκ ἔχει ταῦτ' ἀλήθειαν ὦ ἄνδρες δικασταὶ πιστήν, ἀλλὰ λόγοι ταῦτ' εἰσί.* Pseudodem. 58, 7: *μὴ ἐᾶτε λόγους λέγειν.* Eurip. Med. 321: *μὴ λόγους λέγε.* Ibid. 325. Dem. 20, 92: *ἵν' οὖν μὴ λόγον λέγω μόνον, ἀλλὰ καὶ τὸν νόμον αὐτὸν ὃν φημι δείξω* numerus singularis tenetur verbo opposito *τὸν νόμον.* Idem usus est cognominatorum quae inter se iunguntur substantivorum, velut Dem. 8, 13: *λόγοι καὶ προφάσεις.* 20, 101: *λόγους καὶ φλυαρίας.* 18, 308: *ῥήματα καὶ λόγους.* 23, 151: *ὄψεσθε γὰρ οὐ λόγους οὐδ' αἰτίας* (recte Dind. et Bekk.; *αἰτίαν* West. et Voem. ex S Y O), *ἀλλ' ἀλήθειαν οὖσαν ὧν λέγω.* Neque huius legis exceptionem dixerim Dem. 30, 26: *λόγος ταῦτα καὶ παραγωγὴ τοῦ πράγματός ἐστιν,* ubi *λόγος* refertur ad §. 25: *τὴν γυναῖκα ὑμῖν ἀποδείξω λόγῳ μὲν ἀπολελοιπυῖαν, ἔργῳ δὲ συνοικοῦσαν Ἀφόβῳ.* — §. 60. *αὐτὸν ἐπιδεῖξαι*] Bekk.; *αὐτὸν ὑμῖν ἐπιδεῖξαι* Dind. et Voem.; *ὑμῖν,* quod in cod.

S deest, non opus est. — §. 61. *καὶ κακολογῇ*] haec verba delenda esse videntur. Nam *κακολογεῖν* idem declarat, quod *βλασφημίας λέγειν*, et verbum satis rarum est apud antiquos scriptores; cf. Lys. 8, 5. Pseudodem. 25, 94. (Saepius legitur in Testam. N., velut Marc. 9, 39. Act. 19, 9. Mat. 15, 4. Marc. 7, 4). Hic denique locus abundat verbis synonymis.

Commentarius in Demosthenis pro Phormione orationem.

In Libanii argumentum.

Phormionem hunc, pro quo exceptionem scripsit Demosthenes, diversum esse illi eodem nomine negotiatori, cui Chrysippus eiusque frater litem intenderunt or. 34, iam Reiskius observavit, neque potest fugere quemquam, qui utriusque res et aetates leviter compararit. Nam ut is, cuius causa hac oratione dicitur, satis dives et conductor mensae nobilissimae videtur, sic illum viginti minas, ut in Bosporo Cimmerio negotiaretur, a mensario Atheniensi mutuatum esse accepimus. Quo autem anno illius lis apud iudices acta est — scripta enim est oratio aliquanto post Ol. 111, 2. 335, cf. Bekk. ind. oratt. Dem. p. 317, Blass III, 1 p. 516 —, eo Phormionem argentarium aetate iam pergrandem fuisse existimandum est. Cf. Herrmann, Einleitende Bemerkungen zu Demosthenes paragraphischen Reden. Erfurt 1853 p. 11. Quod miror fefellisse Benselerum virum doctissimum, qui de hiatu p. 149 orationem contra Phormionem ideo suppositam esse iudicat, quod ne minimam quidem hiatus curam adhibuisset orator et quod Demosthenem contra eundem Phormionem postea orationem scripsisse, pro quo antea ipse locutus esset — id quoque falsum est — haud veri simile esset. Vid. A. Schaefer. p. 189.

Quae hoc argumento traduntur, auctor maximam partem ex ipsa Demosthenis oratione prompsit. Nomen Archippae Pasionis uxoris, ex qua Apollodorum et Pasiclem pueros susceperat, notum erat ex Dem. 45, 74.

δύο παισίν] *δύο* apud ipsos rerum scriptores Atticos nonnunquam in casus non inclinari observant Poppo ad Thuc. 7, 50, 2, Krueg. ad Xen. An. 1, 2, 23. At Dem. 39, 32 et 40: *τοῖς αὑτοῦ παισὶν — δυοῖν*. 5, 23: *πλεονεκτημάτων δυοῖν*. 19, 287: *δυοῖν μὲν κηδεσταῖν*. 23, 36: *δυοῖν ὑποκειμένων ὀνομάτων*.

57, 42: *παιδίων αὐτῇ δυοῖν ἤδη γεγενημένων*. Lys. 13, 37: *δύο δὲ τράπεζαι*, ubi Frohb. cf. §. 25: *δύο πλοῖα*. 16, 10: *δύο ἀδελφάς*. 32, 20: *δύο παῖδας*. Vid. Krueg. gramm. §. 44, 2, 3.

οἰκέτην ἑαυτοῦ γενόμενον] cf. §. 46: *τοῦ πατρός ποτ' ἐγένετο τοῦ σοῦ* et §. 48. — *οἰκέτης* est *δοῦλος* opp. *ἐλεύθερος*, cf. Dem. 18, 259: *οἰκέτου τάξιν, οὐκ ἐλευθέρου παιδὸς ἔχων*. 22, 55: *τί δοῦλον ἢ ἐλεύθερον εἶναι διαφέρει*. 24, 167. Utroque loco antecedit *τοῖς οἰκέταις*. Proprie autem *οἰκέτης* dicitur servus emptione partus, ut docet Ammon. diff. vocab. p. 101: *οἰκότριψ μὲν γὰρ ὁ ἐν τῇ οἰκίᾳ διατρεφόμενος, ὃν ἡμεῖς θρεπτὸν καλοῦμεν· οἰκέτης δὲ ὁ δοῦλος ὁ ὠνητός*. Et erat Phormio a Pasione mensario emptus. Vid. Dem. 45, 71 sq. *ἡνίκ' ὤνιος ἦν — ἐπειδὴ δὲ ὁ πατὴρ ὁ ἡμέτερος τραπεζίτης ὢν ἐκτήσατ' αὐτόν —*.

ἔτι πρότερον] prius libertate donatus erat, quam Pasio mortem obiit; cf. §. 48.

ἐπίτροπον — κατέλιπε] cf. §. 22: *ἐπίτροπος καταλελειμμένος*. §. 8: *τὸν δὲ παῖδ' ἐπετρόπευεν*. Vitricum privigno tutorem designari testamento pluribus comprobatur exemplis; cf. Dem. 27, 5 sq. Isae. 9, 27.

παλλακὴν ἑαυτοῦ γενομένην] *παλλακὴν* vulgo dicebant concubinam, quae non legitimis nuptiis cum marito coniuncta cotidiana corporis ministeria praestaret; cf. Pseudodem. 59, 122: *τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν, τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος, τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν*. Quo iure Libanius Archippam, quae et in testamento Pasionis (Dem. 45, 28) et alibi (cf. 36, 30: *ἔδωκε τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα*. Ibid. 51. Pseudodem. 46, 13) uxor (*γυνὴ*) eius dicitur, hoc loco *παλλακήν* vocaverit, non apparet.

ἔδωκεν — γυναῖκα] uxorem vel in matrimonium dedit. Saepissime *διδόναι* non addito *γυναῖκα* accusativo de collocandis mulieribus appellant; cf. Dem. 36, 28 sqq. §§. 32. 51; 41, 3 sq. Isae. 5, 26. Xen. An. 7, 2, 38. Item de sponso *λαμβάνειν* nunc absolute, quod aiunt, nunc addito *γυναῖκα* dicitur; cf. Xen. Cyrop. 8, 4, 16: *ἢν τὴν θυγατέρα μου γυναῖκα λαμβάνῃς*. At id. hist. Graec. 4, 1, 14: *σὲ μέν, ὦ Σπιθριδάτα, τύχῃ ἀγαθῇ διδόναι Ὀτυϊ τὴν θυγατέρα, σὲ δὲ λαμβάνειν*. Dem. 36, 8: *τὴν μὲν γυναῖκα λαμβάνει*. — *ἐπὶ προικί* i. e. dote dicta; cf. Dem. 28, 16: *τούτῳ τήν τ' ἐμὴν μητέρ' ἐγγυῶν ἐπὶ ταῖς ὀγδοήκοντα*

μναῖς. §. 19; 41, 6. Andoc. 4, 13: *τὴν Καλλίου γήμας ἀδελφὴν ἐπὶ δέκα ταλάντοις.*

νέμεται] §. 9. — *ὕστερον δέ*] ubi primum Phormio locatione cessit; cf. §. 11. — *ἀποθανούσης δὲ — ὕστερον*] c. Ol. 104, 4. $3^{61}/_{60}$; vid. supra et or. §. 14. — *νειμάμενος — οὐσίαν*] §. 32. — *ἐνεκάλει τῷ Φορμίωνι*] cf. §. 14: *τρισχιλίας ἐγκαλέσας ἀργυρίου δραχμὰς πρὸς αἷς ἔδωκεν ἐκείνῃ δισχιλίαις τοῖς τούτου παιδίοις.* — *καθίσαντες — πεντακισχιλίας*] cf. §. 15. Sed hoc loco post *Δεινίας* omittitur *καὶ Λυσῖνος*. Ad *διαλύσασθαι τὰ ἐγκλήματα* cf. Dem. 4, 15: *ἕως ἂν ἢ διαλυσώμεθα πεισθέντες τὸν πόλεμον.* — *πεντακισχιλίας* scil. *δραχμάς*, cuius nominis omissi permulta sunt exempla; cf. Dem. 27, 10. 24. 35. 39. 44; 28, 8. 13 etc. — *εἴληχε δίκην Φορμίωνι ἀφορμῆς*] vid. ad §§. 3. 17.

οἱ Ἀττικοί] priscos scriptores dicit; vid. Mauss. adnot. ad Harp. p. 59, 7. — *ἡμεῖς*] *οἱ καλούμενοι κοινοί*, de quibus vid. Krueg. gramm. p. 9. — *ἐνθήκην*] sortem vel pecuniam mensae subvenientem.

παραγράφεται] *παραγραφὴν ποιεῖται* cf. §§. 2. 24. — *νόμον — δικάζεσθαι*] cf. §. 25. — *τῆς εὐθείας*] scil. *δίκης* i. q. *εὐθυδικίας*, qua actione quis recto iudicio experitur neque exceptione ab reo interposita prohibetur causam ad iudices deferre. Sunt igitur *εὐθυδικία* et *παραγραφή* inter se opposita; cf. Dem. 45, 6. Pseudodem. 34, 4. Meier et Schoem. p. 649.

δεικνύς] §§. 11—13. — *ἵνα — ἰσχύῃ*] cf. §. 2: *ἵνα τῶν πραγμάτων — κυρία.* — *σαθρᾶς*] vitiosae, corruptae. Cf. Dem. 18, 227: *θεάσασθε τοίνυν ὡς σαθρόν, ὡς ἔοικεν, ἐστὶ φύσει πᾶν ὅ τι ἂν μὴ δικαίως ᾖ πεπραγμένον.*

In orationem ipsam.

I. Exordium et propositio. §. 1—3. *Τὴν μὲν ἀπειρίαν τοῦ λέγειν καὶ ὡς ἀδυνάτως ἔχει Φορμίων*] Phormio neque usu peritus dicendi, quia litibus semper abstinere solebat, neque natura facundus aut lingua promptus erat. Quod ipse Apollodorus Phormionis adversarius testatur 45, 30: *σολοικίζει τῇ φωνῇ* i. e. vitiose loquitur; nam barbarus fuerat et ab Apollodori patre emptus (45, 81). — Saepissime actores vel ut sibi benevolentiam iudicum concilient — est enim in his commendatio quaedam tacita, ut ait Quint. 4, 1, 8 —, imperitos se rerum forensium et infirmos et impares ingeniis contra agentium

esse in principio orationis dicunt vel, si familiarium patrocinium susceperunt, eorum imperitiam aut inertiam aetatemve excusant. Cuius rei permulta exempla sunt, velut Dem. 41, 2: *φοβοῦμαι, μὴ διὰ τὴν ἀπειρίαν οὐ δυνηθῶ δηλῶσαι περὶ τῶν πραγμάτων ὑμῖν.* Lys. 12, 3: *εἰς πολλὴν ἀθυμίαν κατέστην, μὴ διὰ τὴν ἀπειρίαν ἀναξίως καὶ ἀδυνάτως ὑπὲρ τοῦ ἀδελφοῦ καὶ ἐμαυτοῦ τὴν κατηγορίαν ποιήσωμαι.* Id. 19, 2: *τὴν δ' ἐμὴν ἀπειρίαν πάντες ἴσασιν, ὅσοι ἐμὲ γιγνώσκουσιν.* Dem. 38, 6: *τὴν ἡμετέραν ἀπειρίαν καὶ τὴν ἐξ ἀνάγκης ἄγνοιαν τῶν πεπραγμένων ἕρμαιον νομίσαντες αὐτῶν τὰς δίκας ἡμῖν ἔλαχον ταυτασί.* Isocr. 15, 26: *ὁρᾷ γὰρ — ἐμὲ δ' ὑπὲρ αὐτῶν οὐ δυνησόμενον ἀξίως τῆς δόξης ἀπολογήσασθαι καὶ διὰ τὸ γῆρας καὶ διὰ τὴν ἀπειρίαν τῶν τοιούτων ἀγώνων.* Antiph. 1, 1: *νέος μὲν καὶ ἄπειρος δικῶν ἔγωγε ἔτι, δεινῶς δὲ καὶ ἀπόρως ἔχει μοι περὶ τοῦ πράγματος.* Pseudodem. 58, 3: *δέομαι οὖν ὑμῶν ἁπάντων, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ ἱκετεύω μετ' εὐνοίας ἀκοῦσαί μου, πρῶτον μὲν ὅτι τῷ πατρὶ βοηθῶν καὶ πειθόμενος ἀγωνίζομαι, ἔπειθ' ὅτι καὶ νέος ὢν καὶ ἄπειρος.* Antiph. 5, 5: *τάδε δὲ δέομαι ὑμῶν, τοῦτο μὲν ἐάν τι τῇ γλώσσῃ ἁμάρτω, συγγνώμην ἔχειν μοι, καὶ ἡγεῖσθαι ἀπειρίᾳ αὐτὸ μᾶλλον ἢ ἀδικίᾳ ἡμαρτῆσθαι.* Pseudodem. 55, 7: *ἀνθρώπου δ' οἶμαι τηλικούτου καὶ ἀπείρου τῶν πραγμάτων ἅπαντες καταπεφρονήκατέ μου.* (Dem. 19, 120: *οὐ γὰρ δὴ δι' ἀπειρίαν γε οὐ φήσεις ἔχειν ὅ τι εἴπῃς.*) Antiph. 5, 1: *ἐβουλόμην μέν, ὦ ἄνδρες, τὴν δύναμιν τοῦ λέγειν καὶ τὴν ἐμπειρίαν τῶν πραγμάτων ἐξ ἴσου μοι καθεστάναι τῇ τε συμφορᾷ καὶ τοῖς κακοῖς τοῖς γεγενημένοις.* Isae. 8, 5: *ἔστι μὲν οὖν χαλεπόν, ὦ ἄνδρες, πρὸς παρασκευὰς λόγων καὶ μάρτυρας οὐ τἀληθῆ μαρτυροῦντας εἰς ἀγῶνα καθίστασθαι περὶ τηλικούτων, παντάπασιν ἀπείρως ἔχοντα δικαστηρίων.* Id. 10, 1: *οἱ μὲν γὰρ καὶ λέγειν δεινοὶ καὶ παρασκευάσασθαι ἱκανοί —· ἐγὼ δὲ μὴ ὅτι ὑπὲρ ἄλλου, ἀλλ' οὐδὲ ὑπὲρ ἐμαυτοῦ πώποτε δίκην ἰδίαν εἴρηκα.* Dem. 27, 2: *πρὸς ἄνδρας καὶ λέγειν ἱκανοὺς καὶ παρασκευάσασθαι δυναμένους χαλεπόν ἐστιν εἰς ἀγῶνα καθίστασθαι περὶ τῶν ὄντων ἁπάντων ἄπειρον ὄντα παντάπασι πραγμάτων διὰ τὴν ἡλικίαν.* Pseudodem. 58, 2: *πρὸς ἅπαντας ὠδύρετο τοὺς γνωρίμους, εἰ — τὴν ἀπειρίαν καὶ ἡλικίαν προφασιζόμενος αὐτὸν μὲν περιόψομαι πάντων ἀπεστερημένον.* Id. 59, 14: *ἡγοῦμαι προσήκειν δεηθῆναι νέον τε ὄντα καὶ ἀπείρως ἔχοντα τοῦ λέγειν, συνήγορόν με κελεῦσαι καλέσαι τῷ ἀγῶνι τούτῳ Ἀπολλόδωρον. καὶ γὰρ πρεσβύτερός ἐστιν ἢ ἐγώ, καὶ ἐμπειρο-*

τέρως ἔχει τῶν νόμων. Pseudoisocr. 21, 1: *οὐ προφάσεως ἀπορῶ, δι' ἥντινα λέγω ὑπὲρ Νικίου τουτουί· καὶ γὰρ φίλος ὤν μοι τυγχάνει καὶ δεόμενος καὶ ἀδικούμενος καὶ ἀδύνατος εἰπεῖν.* Hoc exemplo aliisque non ita paucis, quibus qui agunt se commendare iudicibus student, cum aut ipsos infacundos aut adversarium dicendo superiorem esse aiunt, adducor, ut Blassium huius orationis verba *ἀδυνάτως ἔχει* non recte interpretatum esse existimem. Nam quod ea de corporis imbecillitate atque infirmitate intellegi vult (Attische Beredsamkeit III, 1 p. 405 n. 3), neque verbo *ὁρᾶτε,* de quo v. Franke ad Dem. 3, 1, flagitatur neque sententiae loci aut communi loquendi consuetudini convenit. Itaque hoc loco infinitivus *λέγειν* (non *πρὸς τὸ λέγειν*, ut Reiske voluit; cf. Antiph. 5, 76: *ἀδυνάτως εἶχεν ἰσχυρίζεσθαι*) simul audiendus est. Cf. Aesch. 1, 38: *ἀδύνατον εἰπεῖν* opp. 1, 180: *λέγειν δ' εἰς ὑπερβολὴν δυνατοῦ.* Lys. 17, 1: *ἐγὼ δὲ τοσούτου δέω περὶ τῶν μὴ προσηκόντων ἱκανὸς εἶναι λέγειν, ὥστε δέδοικα μὴ καὶ περὶ ὧν ἀναγκαῖόν μοί ἐστι λέγειν ἀδύνατος ὦ τὰ δέοντα εἰπεῖν.* Id. 27, 5: *ὅταν τοὺς μὴ δυναμένους λέγειν κολάζητε.* Antiph. 5, 2: *ἐν τούτῳ με βλάπτει ἡ τοῦ λέγειν ἀδυναμία.* Lys. 31, 2: *οὐδὲ τῷ δύνασθαι καὶ εἰωθέναι λέγειν ἐν ὑμῖν ἐπαρθείς* et §. 4: *οἵτινες δυνατώτεροι ἐμοῦ εἰσι λέγειν* ex Frohb. coniectura (*εἰσι, λόγῳ* codd.; *εἰσι τῷ λόγῳ* Scheibius). Isocr. 14, 3: *μὴ μόνον ἡμῖν εἶναι τὸν ἀγῶνα πρὸς τοὺς δυνατωτάτους, οὓς ἀπὸ τῶν ἡμετέρων αὑτοῖς οὗτοι παρεσκευάσαντο συνηγόρους.* Pseudodem. 52, 1: *οὐκ ἔστι χαλεπώτερον οὐδέν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἢ ὅταν ἄνθρωπος δόξαν ἔχων καὶ δυνάμενος εἰπεῖν τολμᾷ ψεύδεσθαι.* De eadem sententia conferri possunt Lys. 1, 5; 19, 1. Pseudodem. 40, 4.

Phormio igitur, quod et usu rerum forensium et dicendi facultate carebat, actionem familiaribus permisit, sed ipsum pauca praefatum esse ex his primis verbis apparet. Nam Demosthenis aetate non raro factum esse videtur, ut rei aut totum patrocinium aliis demandarent aut, cum ipsi pro se dixerant, amicos vel propinquos sibi advocarent, qui si quid haberent patrocinarentur. Isaei or. IV. ab amico quodam Hagnonis et Hagnothei habita est, quem ipsum Isaeum esse argumenti scriptor iniuria coniecit. In eiusdem or. VI. Chaerestrati patrocinium suscepit eius familiaris. Lys. or. XIII. a patruele Dionysii, qui suo nomine Agoratum accusaverat, habita est; cf. Rauchenst. praef. In eiusdem or. XXXII. iuveni modo sui iuris facto affuit eius

levir (*κηδεστής* §. 1). His *συνηγορίαις*, quas Graeci vocant, praeterea adnumerandae sunt Demosthenis Leptinea (20) et maior pars orationis in Neaeram (59), quam Theomnestus Apollodoro socero suo mandavit (cf. §. 14), denique Pseudoisocratis or. XXI. — Isocr. 20, 22 actor amicos qui aderant ut suae causae adsint his verbis hortatur: *εἰ δέ τις τῶν παρόντων ἔχει τί μοι συνειπεῖν, ἀναβὰς εἰς ὑμᾶς λεγέτω.* Cf. Pseudodem. 58, 70: *βοήθησον ἡμῖν ὁ δεῖνα εἴ τι ἔχεις καὶ σύνειπε. ἀνάβηθι.*

ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι] quae appellatio quater et vicies in hac oratione legitur, in exordio quidem hoc uno loco, ter et in narratione et in peroratione, in probatione, quae est gravissima orationis pars, octies, in refutatione denique, cui descriptio litigantium adiuncta est, novies; bis tantum (§§. 17. 28) invenitur *ὦ ἄνδρες δικασταί.* Quod haud fortuitum mihi videtur esse, sed ea mente ab Demosthene usurpatum, ut honorem praecipuum Atheniensibus haberet, a quibus Phormio civitate donatus esset, et admoneret iudices, ut pro civium auctoritate atque dignitate sententias ferrent. Qua in re Demosthenes a reliquis oratoribus abhorret; cf. Sigg p. 419. Isaeus quidem, cuius disciplina illum usum esse constat, iudices uno loco alloquitur *ὦ Ἀθηναῖοι,* alias semper *ὦ ἄνδρες* vel *ὦ ἄνδρες δικασταί* vel *ἄνδρες δικασταί.* Vid. Schoem. ad Isae. 1, 47. — Huius orationis initium H. Schaeferus monet a Rufo p. 77 sic laudari: *Τὴν μὲν ἀπειρίαν τοῦ λέγειν καὶ ὡς ἀδυνάτως ἔχει Φορμίων, πάντες ὁρᾶτε, ὦ δικασταί.* At Demosthenem nusquam appellatione *ὦ δικασταί,* sed aut *ὦ ἄνδρες δικασταί* aut rarius *ἄνδρες δικασταί* usum esse docet Rehd. Ind. I, Anrede.

τοῖς ἐπιτηδείοις] amicis, familiaribus. Item §. 57. Cf. Isae. 2, 3: *ὁ πατὴρ ὁ ἡμέτερος, ὦ ἄνδρες, φίλος ἦν καὶ ἐπιτήδειος Μενεκλεῖ.* Lys. 1, 22: *Σώστρατος ἦν μοι ἐπιτήδειος καὶ φίλος* coll. §. 39: *ἐμοὶ γάρ, ὦ ἄνδρες, ὅπερ καὶ πρότερον εἶπον, φίλος ὢν Σώστρατος καὶ οἰκείως διακείμενος.*

σύνισμεν] scil. *αὐτῷ* i. e. de eo scimus, ut Dem. 3, 3: *παρὼν καὶ ἀκούων σύνοιδα*, ubi vid. Westerm. 20, 13: *τὰ μὲν ἄλλ' ἔγωγε οὐκ οἶδα οὐδὲ λέγω φλαῦρον οὐδὲν οὐδὲ σύνοιδα,* ubi Reiskius adnotat: '*σύνοιδεν* h. e. conscius ei est eorum, quae certo novit, et testis oculatus est eum perpetrasse, tametsi eorum nihil per famam compererit'. 'Ex naturali huius verbi vi, qua significat conscium esse, peculiaris Graecae linguae usus fluxit, qua etiam simpliciter significat scire de aliquo; proprie

quidem ita, ut simul significetur illum, de quo aliquid scio, ipsum quoque id scire meque illi aut etiam contra illum eius rei testem fieri posse. — In his itaque hoc verbum nil nisi adiunctam cognitioni maiorem persuasionem significare videtur, qualis eius esse solet, qui testis est oculatus. — Quo usu cum relatio praepositionis prorsus evanuisset, factum est, ut dativus neglegeretur et *σύνοιδα* plane ut simplex *οἶδα* strueretur' (Buttm. ad Dem. Mid. ind.). Exempla congerere vix opus est. Sed cf. Dem. 21, 2; 24, 124. Isocr. 8, 4; 15, 120. Lys. 3, 1, 3; 13, 18, 61. — Dativo omisso Dem. 14, 40; 27, 57; 29, 1. 12; (49, 58;) 57, 48. 51. Lys. 1, 44; 7, 16. (Frohb. ad Lys. 1, 44). Latinos constat eodem sensu dixisse conscium esse pro scire de aliquo, ut Sall. Cat. 22, 2: alius alii tanti facinoris conscii. Cic. p. Cael. 21, 52: huic facinori tanto tua mens liberalis conscia esse non debuit. Tac. Ann. 1, 43: tot flagitiorum exercitui meo conscius. Curt. 6, 10, 20: si conscius Dymno tanti sceleris fuissem.

λέγειν καὶ διδάσκειν] verborum cumulationem, qua idem duobus similis significationis verbis declaratur, Demosthenis propriam et frequentissimam apud eum esse iam observavit Dion. Hal. de adm. vi dicendi 58. Sed ubicunque orator cumulavit verba, eo consilio fecit, ut distinctiorem sermonem vel numerosiorem et ad persuadendum aptiorem efficeret, neque facile locum invenias, ubi amplificationem et vim maiorem sententia aspernetur. Nam cum quid accurate explicari audientibus vult, verba similis significationis copulare solet, ita tamen, ut verbum alterum vim explicandi communem, alterum praecipuam definiat atque exprimat, velut hoc loco *λέγειν καὶ διδάσκειν* (Isocr. 15, 197: *διδάσκοντας καὶ λέγοντας* ordine inverso). Dem. 20, 163: *λέγειν καὶ διεξιέναι.* 21, 77: *εἰπεῖν καὶ διηγήσασθαι.* 45, 47: *εἶπον καὶ διεξῆλθον.* Plura vid. Voem. Prolegg. ad Dem. contt. et Rehd. Dem. ind. I p. 166 sqq. De eadem re breviter disputavit Blass III, 1 p. 94. Quae in hac oratione inveniuntur exempla cumulationis, haec fere sunt: *εἰδότες καὶ μεμαθηκότες* §. 1 cf. 8, 46: *εἰδότας καὶ ἐγνωκότας* et h. or. §. 4: *ἀκοῦσαι καὶ μαθεῖν,* cf. 20, 98. — *διαλύσας καὶ παραδούς* §. 3, ubi prius verbum altero explicatur, velut §. 8: *ἁρπάζοντος δὲ τούτου καὶ πολλὰ ἀπὸ κοινῶν ὄντων τῶν χρημάτων ἀναλίσκειν οἰομένου δεῖν.* — *λέγειν καὶ ἐπιδεικνύναι* §. 12 cf. 23, 8: *εἰπεῖν καὶ δεῖξαι,* 4, 22: *φράσω καὶ δείξω.* — *πεπραγμένα καὶ γεγενη-*

μένα §. 18. — *ὄντι καὶ ζῶντι* §. 29. — *δόντος καὶ ἐπισκήψαντυς* §. 32. — *κοσμεῖν καὶ περιστέλλειν* §. 47. — *συκοφαντῶν καὶ κρίνων* §. 53. — *φυλάττετε καὶ μέμνησθε* §. 61. — *αἰτίας καὶ ἐγκλήματα* §. 16 cf. *αἰτίας καὶ βλασφημίας* §. 61. — *ἔτεσι καὶ χρόνοις* §. 53. — *λόγους καὶ συκοφαντίας* §. 60. — *κραυγὴ καὶ ἀναίδεια* §. 61. — *δίκαια καὶ εὔορκα* §. 1. — *ἰσχυρὰ καὶ βέβαια* §. 2. — *κάλλιον καὶ δικαιότερον* §. 42. — *βδελυροῖς καὶ συκοφάνταις* §. 58. — *αἰσχρῶς καὶ κακῶς* §. 39.

τὰ δίκαια] argumenta, quae quis ad causam suam firmandam affert (Schaefer). Sic Pseudodem. 25, 1: *τὰ τουτουὶ τοῦ ἀγῶνος δίκαιά ἐστιν ἰσχυρά,* item §. 69; 56, 22: *πρὸς ἕκαστον δὴ τούτων, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἀκούσατε ἃ λέγομεν δίκαια.* 42, 32: *τὰ δίκαια.* Dem. 38, 20: *ταῦτα δὲ πάντες φασὶ μεγάλων δικαίων ἰσχύειν πλέον παρ᾽ ὑμῖν.* Sing. *τὸ δίκαιον* Dem. 41, 7: *πρὸς τοῦτο τὸ δίκαιον ἥκει Σπουδίας ἀμφισβητήσων.* Lys. 13, 22.

ἃ ἂν ᾖ δίκαια καὶ εὔορκα, ταῦτα ψηφίσησθε] quae iusta sint et religiosa, ea pronuntietis atque decernatis. Cf. Isae. 2, 47: *τὰ δίκαια καὶ τὰ εὔορκα κατὰ τοὺς νόμους ψηφίσασθε.* Oratores satis constat crebro admonere iudices, ut legum et iurisiurandi ab ipsis dati memores iudicium faciant (*εὐορκεῖν* Dem. 23, 101: *τὸ εὐορκεῖν περὶ πλείστου πᾶσίν ἐστι ποιητέον.* Cf. 18, 1) seu reum, si innocentem se esse probaverit, iure adiuvent (*βοηθεῖν αὐτῷ δίκαια* Dem. 27, 3; 30, 25. Lys. 10, 32; 32, 3, ubi vid. Frohb.) seu ne familiarium precibus decepti peierent (*ἐπιορκεῖν* Dem. 19, 239; 21, 211. Lys. 14, 22; 18, 13); cf. Lys. 15, 8: *οὐδένα χρὴ τῶν δεομένων περὶ πλείονος ὑμῶν αὐτῶν καὶ τῶν ὅρκων ποιεῖσθαι.* Aesch. 3, 8: *τῶν ὅρκων οὓς ὠμόσατε μεμνημένοι καὶ τῶν νόμων —. κἂν ταύτην ἔχοντες τὴν διάνοιαν ἀκούσητε τῶν μελλόντων ῥηθήσεσθαι λόγων, εὖ οἶδ᾽ ὅτι δίκαια καὶ εὔορκα καὶ συμφέροντα ὑμῖν αὐτοῖς ψηφιεῖσθε καὶ πάσῃ τῇ πόλει.* Pseudodem. 43, 84: *καὶ ταῦτα ποιοῦντες τά τε δίκαια ψηφιεῖσθε καὶ τὰ εὔορκα καὶ τὰ ὑμῖν αὐτοῖς συμφέροντα.* Dem. 21, 24: *δικαίαν καὶ εὔορκον θέσθαι τὴν ψῆφον.* 23, 19; 29, 4: *δικαιοτέραν καὶ εὐορκοτέραν θήσεσθε τὴν ψῆφον περὶ αὐτῶν.* 21, 34: *καὶ γὰρ εὔορκα ταῦθ᾽ ὑμῖν ἐστι καὶ ἄλλως δίκαια,* ubi Buttm. cum codd. A k r *ἔνορκα* scribendum esse opinatus est, de quo vide quae in ind. adnotavit. Pseudodem. 43, 14: *ἐψηφίσαντο τὰ δίκαια.* Pseudolys. 6, 42: *γνῶναι τὰ δίκαια.* Dem. 22, 39: *τὰ εὔορκα ἔσεσθ᾽*

ἐψηφισμένοι. Andoc. 1, 9: *ψηφίζεσθαι τοῦτο, ὅ τι ἂν ὑμῖν αὐτοῖς ἄριστον καὶ εὐορκότατον νομίζητε εἶναι.* Lys. 19, 11: *ὅ τι ἂν ὑμῖν ἄριστον καὶ εὐορκότατον νομίζητε εἶναι, τοῦτο ψηφίσασθαι.*

§. 2. *τὴν μὲν οὖν παραγραφὴν ἐποιησάμεθα τῆς δίκης*] exceptionem autem opposuimus. *παραγραφὴν ποιεῖσθαι* idem valet quod *παραγραφὴν παραγράφεσθαι* (Pseudodem. 35, 45) vel *παραγράφεσθαι* absolute dictum (velut h. or. §. 24. Pseudodem. 32, 1. 24; 33, 2. 3 alibi). Cui verbo propria vis iuxta scribendi subest. Nam ut quisque actionem instituerat, libellus a scriba in tabula, cui nomen erat *σανίς* (cf. Schol. ad Arist. Vesp. 348 et 848. Pseudodem. 25, 70. Isocr. 15, 237) vel *λεύκωμα* (cf. Bekk. Anecd. 277), exaratus prope domum publicam eius, qui iudicio praefuturus erat, in publico proponi solebat simulque litigantibus dies dicebatur, qua initium captura esset causae cognitio (*ἀνάκρισις*). In qua si reus excipiebat in petitorem, exceptionem litteris consignatam (Pseudodem. 34, 17) actioni petentis appositam esse existimandum est; cf. Westerm. ad Dem. 23, 15; Thalheim, K. F. Herm. A. Gr. II, 1 p. 106, 3. Unde exceptioni nomen erat *παραγραφή*, quod nomen ad ipsam orationem, quae apud iudices habenda erat, translatum est. Ex eiusmodi orationum numero praeter hanc pro Phormione exceptionem sunt Dem. adv. Pantaenetum (37) et adv. Nausimachum et Xenopithem (38), Pseudodem. adv. Zenothemidem (32) et adv. Apaturium (33). Pleniorem eius rei formulam vid. Pseudodem. 32, 1: *παραγεγραμμένος μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην.* H. or. §. 24: *παρεγραψάμεθα ἐκ τῶν νόμων μὴ εἶναι τὴν δίκην εἰσαγώγιμον.* 38, 1.

ἐκκρούοντες χρόνους ἐμποιῶμεν] exceptione enim opposita lis principalis intermitti solebat, dum illa esset diiudicata; quae si secundum reum dabatur, causa finita erat. — Papius male statuit *χρόνους* ad *ἐκκρούοντες* referendum esse coll. Pseudodem. 40, 45: *ἐνεδρεύων με καὶ τὴν δίκην ὅτι πλεῖστον χρόνον ἐκκρούειν βουλόμενος.* At ibi *χρόνον* non pendere ex verbo *ἐκκρούειν*, sed accusativum temporis esse quis non primo adspectu videt? Cf. ibid. 43: *ἵν' ὥσπερ καὶ πρότερον ἕνδεκα ἔτη διήγαγε κακουργῶν, οὕτω καὶ νῦν — ἐξ ἀρχῆς με συκοφαντῇ καὶ τὴν δίκην ταύτην ἐκκρούῃ.* 45, 4: *χρόνου δὲ γιγνομένου καὶ τῆς μὲν γραφῆς ἐκκρουομένης.* Absolute quod aiunt legitur verbum Dem. 19, 144: *ἐκκρούσας οὗτος εἰς τὴν ὑστε-*

ϱαίαν. 54, 30: *ὧν ἕνεκ' ἐκκϱούων ταῦτ' ἐποίει*. 21, 81: *τοσαύτας τέχνας καὶ σκήψεις οὗτος εὑϱίσκων ἐκκϱούει*. Significat autem *ἐκκϱούειν* machinis fraudum praecipue forensium causam producere vel differre tandemque eludere. — Hoc igitur loco *ἐκκϱούοντες* absolute dictum est, ita ut ex verbis antecedentibus *τὴν δίκην* audiatur. Mox *χϱόνους ἐμποιεῖν* idem est quod *διατϱιβὰς ἐμποιεῖν* (Pseudodem. 47, 63. Thuc 3, 38, 1: *χϱόνου διατϱιβὴν ἐμποιησάντων*) moram inferre, interponere. Sic Dem. 9, 71: *χϱόνους γ' ἐμποιῆτε τοῖς πϱάγμασιν*. 23, 93: *οἱ δὲ γϱαψάμενοι καὶ χϱόνους ἐμποιήσαντες καὶ δι' οὓς ἄκυϱόν ἐστιν, ἡμεῖς ἐσμέν*. Prooem. 21, 4: *μηδ' ἀναβαλεῖν νομίσαι με καὶ χϱόνον ἐμποιεῖν*. Dem. 19, 163: *οὐδ' ἐποίησαν χϱόνον οὐδένα* (Voem. et Bensel. ex codd.; *οὐδ' ἐνεποίησαν χϱόνον οὐδένα* Dind. emendabat). Passive dicitur *χϱόνος ἐγγίγνεται*, velut Dem. 19, 324: *ἵνα μηδεὶς χϱόνος ἐγγένηται τοῖς πϱάγμασι*. 37, 2: *χϱόνων ἐγγεγενημένων*. Pseudodem. 47, 29. 30. 32. 63. Thuc. 1, 113, 1; 4, 111, 1; 8, 9, 2. Herod. 1. 190; 2, 124. 175; *χϱόνος γίγνεται*, ut Lyc. adv. Leocr. 21, ubi vid. Rehd. Dem. 45, 4. At Dem. 19, 3: *τὸ χϱόνον γεγενῆσθαι* (Cobet conicit *ἐγγεγενῆσθαι*) *μετὰ τὴν πϱεσβείαν πολύν*. 18, 26: *ὡς πλεῖστον τὸν μεταξὺ χϱόνον γενέσθαι τῶν ὅϱκων*. *χϱόνος διαγίγνεται* Isae. 2, 10; 11, 9. Lys. 3, 30. — Quod autem orator hic se ideo opposuisse exceptionem negat, ut interposita mora causam eluderet, iudices de hoc actionis genere male opinati esse et diffidere coepisse videntur; cf. Pseudodem. 44, 57: *καὶ τῶν ἀγώνων ἀδικώτατοι καὶ πλείστης ὀϱγῆς ἄξιοι τοῖς ἀγωνιζομένοις αἱ διαμαϱτυϱίαι εἰσίν*. Meier et Schoem. p. 650

ἵνα τῶν πϱαγμάτων — κυϱία] ut negotiis seu molestiis, quas ei Apollodorus facessivit, apud vos quacunque cum fortuna constanter liberaretur. Nam ab heliastarum iudicio nullum fuit provocationis ius, sed sententia rata et, ut aiunt iurisconsulti, peremptoria erat; cf. Hesych. *τὸ δικαστήϱιόν ἐστι κύϱιον ἁπάντων, ἡ δὲ δίκη αὐτοτελής*. Lys. 1, 36; h. or. §. 59: *κύϱιοι καθέστατε σῶσαι* (Wachsmuth, Hellen. Altertumskunde II¹ p. 165). — *πϱάγματα* Graeci eodem sensu quo Latini negotia dicunt de negotiis molestis, praesertim de litibus inter cives intentatis; cf. Dem. 1, 8: *πάντων τῶν μετὰ ταῦτ' ἂν ἦτε ἀπηλλαγμένοι πϱαγμάτων*. 4, 13: *ἀπαλλάξαι ἂν τῶν τοιούτων πϱαγμάτων*. 8, 37: *πϱάγματα ἡμῖν παϱέχετε*. Ibid. 60; 9, 74; 27, 2; 41, 1: *δίκας καὶ πϱάγματ' ἔχειν*. 27, 1: *οὐδὲν ἂν ἔδει*

δικῶν οὐδὲ πραγμάτων. Lys. 7, 1: *μήτε δίκας ἔχειν μήτε πράγματα*. Pseudodem. 47, 28: *δικῶν καὶ πραγμάτων*. Ibid. 4: *ἔχειν πράγματα*. Antiph. 6, 12. Plura vid. ad §. 53. De Latinorum negotiis cf. Quint. 3, 5, 11. Suet. Aug. 32. — Ceterum hunc locum, id quod nec Reiskius nec H. Schaeferus observavit, laudat Harp. s. v. *ἀφείς* sic: *ἵν᾽ ἀπαλλαγή τις αὐτῷ γένοιτο παρ᾽ ὑμῶν κυρία*. Neque vero est, cur a codicum lectione discedamus. De coniunctivo post tempus praeterit. posito vid. Krueg. §. 54, 8, 2. — *παρ᾽ ὑμῖν* est apud vos, penes quos hoc iudicium est, vel iudicio vestro, sententia vestra; cf. 27, 2: *παρ᾽ ὑμῖν τεύξεσθαι τῶν δικαίων*. 28, 21: *τυχόντα με τῶν δικαίων παρ᾽ ὑμῖν*. Xen. Anab. 1, 9, 29: *τιμῆς τυγχάνειν παρὰ βασιλεῖ*. Plura vid. Rehd. ad Lycurg. §. 3.

ἐὰν ἐπιδείξῃ μηδ᾽ ὁτιοῦν ἀδικοῦνθ᾽ ἑαυτόν] exspectamus, quod Phormioni hic nemo opponitur, hanc structuram: *ἐὰν ἐπιδείξῃ μηδ᾽ ὁτιοῦν ἀδικῶν*, velut Dem. 19, 177: *δείξω πεποιηκώς*. Pseudodem. 42, 22 sq.: *δεῖξον χαλκοῦν ἕνα μόνον — ἀνηλωκώς — δείξω πόλλ᾽ ἀνηλωκώς*. At nihil mutandum esse permulta docent exempla, ut Dem. 22, 29: *δεῖξον οὐ πεποιηκότα ταῦτα σεαυτόν*. 57, 3: *τοῖς δεικνύουσι πολίτας ὄντας αὐτούς*. Ibid. 17: *δεῖξαι ἐμαυτὸν Ἀθηναῖον ὄντα*, 19: *οἶμαι ὑμῖν ἐμαυτὸν Ἀθηναῖον ὄντ᾽ ἐπιδείξειν*. Isae. 1, 17: *ὅταν ἀποφήνωσι σφᾶς αὐτοὺς ὥσπερ ἡμεῖς — προτέρους ὄντας*. Item §. 38. Dem. 14, 40: *τοῦτον δ᾽ αὐτὸν ἂν οἶδε φανέντ᾽ αὐτοῖς*. Isocr. 12, 95, 239; 15, 321. Lys. 23, 12. Krueg. §. 56, 7, 5 coll. §. 55, 2, 3.

ὅσα γὰρ παρὰ τοῖς ἄλλοις — Φορμίων οὑτοσί] nam quae apud reliquos homines rata et firma sunt sine iudicio vestro (iudicii vestri ratione non habita), ea omnia fecit Phormio. — Orator hic, quo clientis integritatem atque innocentiam magis efferat et adaugeat, loco ab auctoritate sumpto (Cornif. ad Herenn. 2, 30, 48) utitur, velut Isae. 2, 24: *καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις καὶ Ἕλλησι καὶ βαρβάροις δοκεῖ καλῶς οὗτος ὁ νόμος κεῖσθαι ὁ περὶ τῆς ποιήσεως*. Pseudodem. 43, 22: *οὐ μόνον παρ᾽ ἡμῖν τοῦτο νενόμισται, ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἅπασι καὶ Ἕλλησι καὶ βαρβάροις*. Dem. 21, 50. Lys. 1, 2: *καὶ ταῦτα οὐκ ἂν εἴη μόνον παρ᾽ ὑμῖν οὕτως ἐγνωσμένα, ἀλλ᾽ ἐν ἁπάσῃ τῇ Ἑλλάδι*. Etiam alibi Atheniensibus reliquos homines opponere solent oratores, ut Dem. 15, 30 sq.: *τοῖς μὲν γὰρ ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις εἷς ἀγών ἐστιν ὁ πρὸς τοὺς*

προδήλους ἐχθρούς —' ὑμῖν δέ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δίο. — Ad verba τοῦ παρ' ὑμῖν ἀγωνίσασθαι cf. Dem. 19, 3: οἱ παρ' ὑμῖν ἀγῶνες. 24, 35.

§. 3. Iam orator singula quae Phormioni cum Apollodoro fuerunt negotia persequitur, quibus appareat illum nihil omnino commisisse, quod ei crimini dari posset. Neque enim ullam partem officii deseruit, sed Apollodoro multa beneficia tribuit et omnia, quae eius arbitrio a Pasione erant permissa, solvit recteque tradidit. Quo facto cum omnibus liberatus esset criminibus, tamen Apollodorus actionem de viginti talentis instituere ausus est. — συκοφαντεῖ male congruit iis quae antecedunt verbis. Nam participia πάντα πεποιηκώς, εὖ πεποιηκώς, διαλύσας καὶ παραδούς, ἀφεθείς redeunt ad Phormionem, συκοφαντεῖ autem pertinet ad Apollodorum. Est igitur quod aiunt ἀνακόλουθον vel ἀναντα πόδοτον. Quod iam offendit H. Wolfium, qui haec adnotavit: 'Unde aut ἀντίπτωσις est pro πεποιηκότος, εὖ πεποιηκότος, διαλύσαντος καὶ παραδόντος, ἀφεθέντος aut post τῶν ἐγκλημάτων addendum φανήσεται et nova periodus inchoanda: ὅμως ὡς ὁρᾶτε'. Quomodo ortum sit anacoluthon, si quidem vitiosum est, facile intellegas. Quid enim facilius fieri potuit quam ut librarius aliquis pro πεποίηκε illud, quod in versu insequenti scriptum erat, participium πεποιηκώς praeciperet? At istam lectionem, quae est aliquot codicum deteriorum (A r), quominus veram esse existimemus obstat, quod verba πάντα πεποίηκε non explicantur participiis insequentibus: an quisquam putabit Demosthenem scripsisse: πεποίηκε — πάντων ἀφεθεὶς μετὰ ταῦτα τῶν ἐγκλημάτων? Quo concesso utique καί ante πολλά esset delendum. Denique neque εὖ πεποιηκώς neque ἀφεθεὶς τῶν ἐγκλημάτων conveniunt sententiae, quam ex principio periodi requirimus. Quare equidem anacoluthon Demosthenis ipsius manu profectum esse iudico, non neglegentia scribentis, ut statuit Blass III, 1 p. 409, sed consulto et cogitate, quippe quod concitationem animi huic loco consentaneam exprimeret atque effingeret. Nam si actorem putamus ita pronuntiasse, ut ante δίκην exiguum temporis intermitteret, inaudita Apollodori calumnia insolenti verborum structura egregie praedicatur. Pleraque anacoluthorum exempla, quae apud Demosthenem reperiuntur, collegit Rehd. Ind. I, ἀνακόλουθον; ubi pro 53, 20 legendum est 52, 30. Porro vid. Sigg p. 425, Goelkel, Beiträge z. Syntax d. Verbums, Passau 1883 p. 45.

πάντα δ' ὅσων κύριος τῶν τούτου κατελείφθη] Phormioni et commune fratrum patrimonium commissum fuerat et mensa scutorumque officina locatae; cf. §. 8: *κοινῶν ὄντων τῶν χρημάτων* et §. 51: *τοῦτον* (sc. *τὸν Φορμίωνα*), *οὐ σὲ τῶν μισθώσεων κατέλιπεν ἐπίτροπον.* Ad pecunias commissas refertur participium *διαλύσας*, ad locationes *παραδούς*. *διαλύειν* hoc loco est Latinorum nomen solvere, dissolvere i. e. dependere aes debitum, ut Dem. 20, 12: *κοινῇ διαλῦσαι τὰ χρήματα.* 28, 2: *ἐξετίσθη τὰ χρήματα καὶ πάντ' αὐτῷ διελέλυτο τὰ πρὸς τὴν πόλιν* (quae apud aerarium fuerant nomina). 29, 7: *πριάμενοι παρὰ τούτου τούτῳ τὰς τιμὰς διέλυσαν.* 41, 8: *ἐωνημένος οὗτος παρὰ τοῦ Πολυεύκτου τὴν τιμὴν — οὔτ' ἐκείνῳ διέλυσεν.* Pseudodem. 49, 37: *διέλυσε τὸ ναῦλον ὑπὲρ τῶν ξύλων.* 50, 26: *ὀφείλει γὰρ ἀργύριον ἐκεῖ, ὃ διαλῦσαι βουλήσεται ἐκ τῆς τιμῆς τῶν σκευῶν.* Rarius dicitur *διαλύειν τινά* q. e. creditorem seu hominem, cui solvendum est, placare solvendo nomine. (Latini eodem sensu dicunt absolvere „befriedigen" cf. Ter. Ad. 2, 4, 13: ego ad forum ibo, ut hunc absolvam et 2, 4, 18. Plaut. Mostell. 3, 1, 15. Epid. 5, 1, 25). Sic h. or. §. 50: *ἐπεὶ διαλύειν ἐδέησαν οἷς ὤφειλον.* Dem. 37, 12: *διαλῦσαι σφᾶς ὑπὲρ ὧν ἐνεκάλουν.* Pseudodem. 34, 40: *τοὺς τὰ ἑτερόπλοα δανείσαντας μόλις διαλύσαντα.* 49, 29: *ἵνα διαλύσῃ τὸν ναύκληρον.* Isae. 2, 29: *διαλύει τὸν ὀρφανόν.* Medium *διαλύεσθαι* i. e. dependere legitur Dem. 30, 12: *μὴ διαλυσάμενος μὲν γὰρ γίγνεται χρήστης ἄδηλος* et §. 22: *εἰκὸς τοίνυν καὶ τοῦτον — διαλύσασθαι πρὸς Ἄφοβον, εἴπερ ὡς ἀληθῶς ἀπεδίδου τὴν προῖκ' αὐτῷ.* 38, 24.

πάντων ἀφεθεὶς — τῶν ἐγκλημάτων] omnibus liberatus criminibus. Apollodorus sibi a Phormione satisfactum esse neque quicquam deberi professus erat. De verbis cf. Lys. 3, 25: *ἀφειμένους τῶν ἐγκλημάτων.* Dem. 45, 5: *ἀφῆκα αὐτὸν τῶν ἐγκλημάτων* et §. 40: *ὡς ἀφέντος ἐμοῦ τῶν ἐγκλημάτων αὐτόν.* Isae. 5, 1: *ἀφήκαμεν ἀλλήλους τῶν ἐγκλημάτων.* In eiusmodi formulis *ἔγκλημα* est causa querendi vel expostulandi. Aliam vocis vim vid. infra §. 20.

φέρειν τοῦτον] Reiske *τοῦτον* intellegit Phormionem. Equidem assentior H. Schaefero sic adnotanti: 'postquam Phormio eo redactus est, ut vexationes Apollodori tolerare non possit'. Semel enim Phormio ei satisfecit, cum post Archippae matris mortem de tribus milibus drachmum et de tunicula et ancilla

questus erat (§. 14 sq.). De hac *φέρειν* verbi notione cf. Dem. 21, 197: *ὃν γὰρ οὐχ ἱππεῖς, οἱ συνάρχοντες, οὐ φίλοι δύνανται φέρειν, τί τοῦτον εἴπῃ τις;* Latini eadem sententia qua nos Germanice dicimus „mit jem. auskommen" verbo ferre utuntur, ut Nep. Att. 5, 1: cuius sic asperitatem veritus est, ut, quem nemo ferre posset, huius sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam. Quint. 8, 5, 31: non ferrem te.

δίκην ταλάντων εἴκοσι λαχὼν αὐτῷ ταύτην] viginti talenta ab eo petens. Vid. praef. *δίκην λαγχάνειν τινί* (actionem alicui intendere) proprie dicitur, quod quo ordine causae ad iudices delatae agerentur permitti sorte solebat. Cf. Plat. Eutyphr. 5, B: *ἐκείνῳ τῷ διδασκάλῳ λάχε δίκην πρότερον ἢ ἐμοί.* Plura de hac re disputaverunt Meier et Schoem. p. 595 sqq.

Hoc exordium omnes quas inesse voluerunt rhetores antiqui partes continet; cf. Quint. 4, 1, 5. Cornif. ad Herenn. 1, 4, 6. Cic. de inv. 1, 15, 20. Id. de or. 2, 78, 315. Praeclare enim orator iudices ad ea, de quibus dicendum erit, praeparat eorumque animos sibi conciliat et idoneos ad audiendum reddit. Nam qui ipse dicendi peritia et facultate sensa animi tolerabiliter exprimendi caret, eum lites non sectari apparet. Quare si negotiis molestis implicatus est, familiares oportet ei in iudicio adesse. Hi quo consilio partem eius tueantur, porro ostenditur; cf. Arist. rhet. 3, 14, 7: *τὸ μὲν οὖν ἀναγκαιότατον ἔργον τοῦ προοιμίου καὶ ἴδιον τοῦτο, δηλῶσαι, τί ἐστι τὸ τέλος οὗ ἕνεκα ὁ λόγος.* Non enim ideo se usos esse exceptione affirmant, ut mora interposita causam eluderent, sed ut Phormio, ubi ostenderit se nihil omnino deliquisse, negotiis liberaretur iudicum sententia. Nam cum nullum munus officii Apollodoro reliquum fecisset et omnibus in rebus beneficum et iustum se praebuisset, tamen illum calumniatum esse eique actionem intendisse iniustam. Sic generatim expositis iis, quae inter Phormionem et Apollodorum intercesserunt, rebus oratio ad eam partem traducitur, quam narrationem vel rerum explicationem dicebant (Cic. de inv. 1, 19, 27; part. orat. 9, 31). Formulae, quibus in hoc transitu utuntur oratores, multifariam variantur, sed quaedam partes omnium fere communes sunt. Tres enim res habere narrationem rhetores iubent, ut sit lucida vel perspicua vel aperta (*σαφής*), brevis (*σύντομος*), veri similis vel probabilis (*πιθανή*). Cf. Quint. 4, 2, 30. Cornif. 1, 9, 14. Cic. de inv. 1, 20, 28. Id. de orat. 2, 80, 329. Quae praecepta ut sequantur oratores, primum illud

polliceri solent, se ab initio rem, quemadmodum gesta sit, omnem expositures. Nam aperta erit oratio, si ut quidque primum gestum erit, ita primum exponetur et rerum ac temporum ordo servabitur (Cornif. 1, 9, 15. Cic. de inv. 1, 20, 29). Itaque saepissime leguntur verba *ἐξ ἀρχῆς* aut in principio enuntiati posita, ut hoc loco (item Dem. 37, 3; 45, 2; 54, 2. Pseudodem. 24, 10; 42, 4; 52, 2. Isocr. 17, 3. Lys. 17, 1; 32, 3) aut post pauca verba collocata (Dem. 21, 77. *ἀπ᾽ ἀρχῆς* 21, 12). Pseudodem. 34, 5; 40, 5; 43, 1; 47, 3; 49, 4; 59, 17. Isocr. 18, 4. Isae. 7, 4; 11, 7. Andoc. 1, 8. Lys. 1, 5; 13, 4; 12, 3, ubi vid. Frohb.). Adduntur autem *ἅπαντα τὰ πραχθέντα,* quia lex perspicuitatis postulat, ne quid, quod ad rem pertineat, praetermittatur. Porro quod breviter narrari rem iubent, pergit orator: *ὡς ἂν δύνωμαι διὰ βραχυτάτων*; cf. Dem. 27, 3. 12. Pseudoisocr. 21, 2. Isae. fr. 4. Dem. 54, 2: *ὡς ἂν οἷός τ᾽ ὦ διὰ βραχυτάτων.* 40, 5: *ὡς ἂν ἐν βραχυτάτοις δύνωμαι.* 45, 5. Denique narratio, quae eius maxima virtus est (Cic. de or. 2, 80, 326), probabilis et ad persuadendum accommodata erit, ut qua haud dubie (*εὖ οἶδ᾽ ὅτι,* de quo vid. Rehd. ad Dem. 4, 12 et Krueg. §. 69, 48, 2) Apollodori calumnia palam fiat et actionem accusatori non convenire iudices cognoscant. Atque verbis *ἥ τε τούτου συκοφαντία φανερὰ γενήσεται καὶ ὡς οὐκ εἰσαγώγιμος ἡ δίκη* ipse orationis ordo et dispositio ostenditur, ut Isae. 11, 7: *ἐκ τούτων γὰρ γνώσεσθε τήν τ᾽ ἐμὴν ἀγχιστείαν καὶ ὅτι τούτοις οὐδὲν προσήκει τῆς κληρονομίας.* Isocr. 18, 4. Lys. 13, 4. Pseudodem. 43, 1; 47, 3; 45, 2: *ἐξ ἀρχῆς δ᾽ ὡς ἂν οἷός τ᾽ ὦ διὰ βραχυτάτων εἰπεῖν πειράσομαι τὰ πεπραγμένα μοι πρὸς Φορμίωνα, ἐξ ὧν ἀκούσαντες τήν τε τούτου πονηρίαν καὶ τούτους ὅτι τὰ ψευδῆ μεμαρτυρήκασι γνώσεσθε,* qui locus huic in eo quoque similis est, quod, cur narratione opus sit, ipso pronomine relativo infertur.

II. Narratio. §. 4—17. Omnia quae narrat orator argumentis confirmare studet vel inartificialibus vel artificialibus. Nam argumenta ad ius probandum idonea in duo discedunt genera (Arist. rhet. 1, 2, 2. Cic. de or. 2, 27, 116); sunt enim aut rebus ipsis insita (*πίστεις ἄτεχνοι*) aut assumpta (*πίστεις ἔντεχνοι*). Haec cum in disputatione vel argumentatione oratoris sint collocata, liquet ex ipsa causa duci. Illa autem, quae a reis deferuntur ad oratorem, ab eo ratione tractari et aut confirmari aut infirmari oportet. Haec quinque numero sunt, ut docet Arist.

rhet. 1, 15, 2, *νόμοι, μάρτυρες, συνθῆκαι, βάσανοι, ὅρκοι.* Ex his generibus Demosthenes in hac oratione tribus usus est, legibus §§. 24 sqq. et 62, testimoniis 10. 13. 21. 22. 24. 35. 48. 56. 62, pactis §§. 4 et 7 (testamenti exemplari). Restant *γνῶσις* §. 16 et *βιβλίον* §. 40. Et illam quidem *συνθήκαις* (pactis) adnumerandam esse vix quisquam infitiabitur; nam quid aliud est cognitio nisi pactum a litigantibus coram arbitris confectum? In eodem numero libellum (*βιβλίον*) referendum esse inde apparet, quod ei provocatio et testimonia adiciuntur, quae quidem aliis argumentis adici non solebant. Neque enim testimonia civium nec legum exempla erant aliis testimoniis confirmanda, sed per se ipsa rata habebantur. Sed quae quis testatus esset, ea lex litteris consignari iussit, ne quid scriptis aut addi aut detrahi posset (Dem. 45, 44. Pseudodem. 46, 6). Legum autem exempla propterea caruisse testimoniis puto, quod, cum leges vel in locis publicis collocatae essent vel in tabulario depositae, utrum accurate descriptae essent necne, a quaestionis iudice facile spectari et examinari poterat. Reliqua denique argumenta, nisi adversarius ipse exempli fidem testatus erat, nulla erant auctoritate, quod erat verendum, ne tabulae corruptae vel veris sublatis documentis nova subdita essent (Pseudodem. 46, 4). Quamobrem ut quisque vel pactum vel testamentum pro argumento afferre cupiebat, eum provocare (*προκαλεῖσθαι*) oportebat adversarium, qui ipse veras esse tabulas et exempla cognosceret atque testaretur, ne postea confectum esse pactum vel testamentum negare posset, id quod Apollodorus coram arbitro negavit (Dem. 36, 33). Provocatio (*πρόκλησις*) autem aut in foro multis praesentibus aut coram arbitro fieri solebat (Dem. 29, 12. Pseudodem. 59, 60). Postremo factam esse provocationem conscribebatur eique instrumento idem nomen *πρόκλησις* erat. Quare Reiskius *πρόκλησιν* definivit sponsionem forensem esse actore reove alteri condiciones offerente seu provocante ad edendum ea argumenta, quorum evidentia causam certam redderet atque dirimeret. Hae igitur provocationes et testimonia eorum, qui interfuerant provocationi, in causae cognitione (*ἀνακρίσει*), quae ipsam actionem antecedebat, a reis proferebantur, ut a iudice quaestionis in scrinio (*εἰς τὸν ἐχῖνον* Dem. 45, 17) collecta die actionis a scriba suo loco recitarentur. Neque vero ipsa pro argumentis erant, sed valebant ad argumenta probanda. Quo fit, ut, cum orator scribam e. g. pactionem recitaturum pronuntiavit, velut h. or. §. 4,

ipsum scribam iubeat et pactionem et provocationem et testimonia legere. De reliquis *προκλήσεως* significationibus ut loquamur, non est hic locus, sed vid. Westerm. ad Dem. 54, 27.

πρῶτον μὲν οὖν] cf. Pseudodem. 59, 16; 48, 3. Dem. 4, 2. Pseudolys. 2, 3; 9, 2. Lys. 18, 1. Qua formula saepius causae expositio infertur. Hoc loco verbis *πρῶτον μέν* ea quae infra §. 7 sequuntur *μετὰ ταῦτα* respondere videntur. Cf. Dem. 21, 8. 37, 30. De particula *οὖν* v. Rehd. ad Dem. 1, 2 et ind. II, *οὖν*.

ἀναγνώσεται] scil. *ὁ γραμματεύς* i. e. scriba, qui semper adstabat oratoribus (Buttm. Dem. Mid. p. 12 edit. III). Item h. or. §§. 21. 24. 40.

τὰς συνθήκας] pactionem. Pluralis de una pactione dicitur; cf. Rehd. ad Lyc. §. 23: „Akte, vermittelst welcher zwischen zwei Personen oder Parteien etwas festgestellt oder vereinbart wird, braucht der Grieche gern pluralisch; vgl. *συγγραφαί, συμβόλαια, σπονδαί*". Eadem pactio §. 6 *μίσθωσις* appellatur; item Dem. 45, 29 *μίσθωσις* et postea §. 32 *συνθῆκαι* legitur. Cuius pactionis quae fuerit summa, cognosci potest ex eiusdem or. §. 32.

καί μοι λαβέ] scribam appellat. Cf. Dem. 30, 9. 32. Pseudodem. 24, 19; 31, 4; 34, 7. *καί μοι λέγε* Pseudodem. 32, 13; 34, 9. Dem. 38, 14. *καί μοι κάλει* Dem. 29, 12. 18. *καί μοι ἀνάγνωθι* Pseudodem. 34, 10. 11. 20. 39. *καί μοι ἀναγίγνωσκε* (*λαβών*) Dem. 27, 8. Pseudodem. 35, 37 et alibi. Particula *καί* imperandi modo vim addit intentiorem. Vid. Kuehn. gr. Gr. §. 727, 4.

αἱ μὲν οὖν συνθῆκαι] tabulis recitatis oratores res quae iis continentur colligere et admonere breviter solent, in quo haud raro particulis *οὖν* vel *τοίνυν* utuntur. Illud e. g. legitur Pseudodem. 35, 21; 48, 4; 58, 57. Isae. 7, 11, hoc saepius, velut h. or. §§. 14. 26. 41. 57. Plura exempla congessit Frohb. ad Lys. 12, 48. Perrarum est *οὐκοῦν*, de quo v. ad §. 21; creberrime autem demptis coniunctionibus enumerationem subiciunt, ut §§. 17. 25.

ἤδη καθ' ἑαυτὸν ὄντι] iam suo nomine negotia gerenti. Antea enim Pasionis servus fuerat. Cf. Dem. 21, 140: *καθ' ἑαυτὸν ζῶντι* (per se res suas agenti). Pseudodem. 10, 52: *γεγόνασι καθ' αὑτοὺς ἕκαστοι*. Ibid. 6: *καθ' ἑαυτοὺς ἀμύνεσθαι*. Isocr. 8, 54: *τὸν αὑτὸν τοῦτον ἄριστ' ἂν βουλεύσασθαι καὶ καθ' αὑτὸν γενόμενον*. Id. 12, 143: *τούτους καὶ καθ' αὑτοὺς*

γενομένους. Plat. Rep. 604 A: *μόνος αὐτὸς καθ' αὑτὸν γίγνηται*. His oppositum est *εἶναι* vel *γίγνεσθαί τινος*, de quo v. ad §. 28.

αὗταί εἰσιν] hoc pronomen, quo saepissime utuntur oratores, ut absoluto argumento orationem ad novum traducant, non subiecti vicem obtinere, sed attributum esse docet articulus appellationi adiectus. Cf. Dem. 45, 32; 20, 153: *οὗτος, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ παλαιός ἐσθ' ὁ νόμος καὶ καλῶς ἔχων*. 21, 9: *ὁ μὲν νόμος οὗτός ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*. 23, 51; 24, 5. Pseudodem. 59, 47. Plura exempla apud Frohb. ad Lys. 13, 30. Idem ad Lys. 25, 19 accuratius exposuit de verbis, quibus oratio ad rem novam traducitur, *χρή*, *δεῖ*, *ἀνάγκη*, aliis, et cum hoc loco comparavit Pseudodem. 59, 14, Antiph. 5, 60, Lys. 9, 13, Plat. Phaedr. 239 C.

§. 5. Primo explicat orator, quo pacto undecim illa talenta, de quibus Apollodorus experitur, pater eius mensae debuerit. Quod propter inopiam negat factum esse, cum illi ferme viginti talentum fuerint possessiones (*ἔγγειος οὐσία*), praeterea argenti mutui aliis dati plus quinquaginta talenta, sed ob industriam vel rei faciendae studium (*διὰ φιλεργίαν*) eum se inscripsisse in tabulas locationis debitorem.

μάλιστα ταλάντων εἴκοσιν] ferme viginti talentum. *μάλιστα* numero appositum declarat ipsum oratorem quanti fuerint possessiones non posse asseverare, quippe quarum pretia non eadem semper sint, sed tum augeantur tum deminuantur, verum numero quam exactissimo affirmare, ita tamen, ut utrum paulo pluris an minoris sint non constet. Sic Dem. 27, 6. 17. 23. 39; 28, 13. Herod. 8, 8. Thuc. 1, 13. 3: *ἔτη δ' ἐστὶ μάλιστα τριάκοντα*, ubi v. Classen. Ex his viginti ferme talentum possessionibus, si quidem Siggii p. 413 sq. rationes sequimur, fuerunt

1) aedificium in Piraeeo situm (*συνοικία*, Dem. 45, 28)	c.	100^{m}
2) Apollodori *συνοικία*	c.	200
3) mensa et officina	c.	900
	c.	1200^{m}.

δεδανεισμένον] mutuum aliis datum. *δανείζειν* est mutuum dare, deinde pecuniam faenori dare, in faenore collocare (Stallb. ad Plat. Rep. 555 C.).

ἐν οὖν τοῖς — ἐνεργὰ ἦν| haec verba alii aliter interpretati sunt. Quid sint *ἐνεργὰ χρήματα*, cognosci licet ex §. 6: *ὅσα Πασίων ἐπὶ γῇ καὶ συνοικίαις δεδανεικὼς ἦν*. Cf. Pseudodem. 56, 29: *τὸ δάνειον ἐν τῇ Ῥόδῳ πάλιν ἐνεργὸν ποιεῖν* i. e. faenore occupare. Alibi (ut Dem. 27, 7. 10) *ἐνεργὰ χρήματα* opponuntur *ἀργοῖς* i. e. aeri, quod iners in arca iacet. Quare H. Wolfius sola undecim talenta quaestuosa fuisse miratus quaerit, num reliqua undequadraginta sine usuris mutuatus sit. Salmasius (de faenore trap. p. 562) mensam Pasionis, cum eam locaret Phormioni, deposita vult habuisse quinquaginta talenta, quorum undecim fuissent *ἐνεργά*, pro quibus usuram solvisset. Quod discrepare cum Demosthenis verbis, qui quinquaginta illa talenta Pasionis fuisse ab eoque faenore collocata diceret, bene monuit Heraldus (animadv. in Salm.), sed ipse incidit in alium errorem. Nam cum undecim talenta utpote e pecunia aliena deposita non posse adnumerari illis quinquaginta talentis, quae ipse Pasio possidebat, opinaretur, oratorem scripsisse coniecit *σὺν οὖν τοῖς πεντήκοντα ταλάντοις τούτοις*. Pasionis ergo mensae *ἀφορμήν* fuisse et ex propria pecunia talenta quinquaginta et ex aliena undecim deposita; quae sola a Pasione Phormioni data esse, cum mensam ei locaret et traderet. Hanc explicationem secutus est H. Schaeferus: ‘Pasio cum quinquaginta talentis, quae ipse possidebat, alia undecim apud se deposita faeneratus est, ut *ἐν — τούτοις* h. l. valeat i. q. *πρὸς — τούτοις*’. Illi assentiri videtur A. Boeckh, Staatshaush. I 627 sq.: Pasion besass ausserdem 50 Talente eigenes ausgeliehenes Geld, wobei noch 11 Talente fremdes waren. Voemelius denique sic in Latinum convertit: Sed praeter quinquaginta talenta hacc de depositis mensae undecim talenta quaestuosa erant. — Itaque pretium operae videtur esse rem diligentius inquirere et excutere, quae sint virorum doctorum probationes. Schaeferus enim, ut sententiam suam approbaret, laudat Soph. Aiac. 674. Oed. Col. 55. Elmsl. ad Oed. Tyr. 27. Quibus locis omnibus — addi possunt Oed. Tyr. 180. Trach. 206. Electr. 713. Ant. 420 — legitur *ἐν δέ*, hic autem ipsa particula *οὖν*, qua solet concludi oratio, declaratur ad quinquaginta illa talenta, quae Pasio faenore collocaverat, nihil adici. Ceterum si fabularum Sophoclearum adnotationes criticas perlustraveris, hanc praepositionem adverbii vicem obtinentem saepius interpretes vel tollere vel emendare vel aliter ac fas est coniungere conatos esse videbis. Nullo

autem eorum, quos Schaeferus contulit, loco praepositionem *ἐν* idem valere quod *πρός*, evincitur aut probatur. Accedit quod hic orator, ut adiectionem significaret, paulo ante *πρὸς ταύτῃ* dixit. Neque opus est coniectura. Nam quinquaginta omnino talenta Pasio mutua aliis data vel faenore collocata habuit, e quibus undecim talenta in mensa deposita erant, reliqua undequadraginta talenta suo nomine et secreto a mensae depositis mutua dederat. Argentarios enim constat maxima ex parte eas pecunias, quas alii mensae crediderant, solitos esse faenerari. Sed quibus ex nominibus confecta quo faenore collocata fuerint undequadraginta Pasionis talenta si quis subtilius ad calculos vocare velit, id quod Sigg. l. l. conatus est, haud scio an irrito labore se fatiget. Id tantum accepimus, duo talenta Archippae in dotem dicta (Dem. 45, 28) et ab Apollodoro postea viginti fere talenta secundum patris tabulas exacta esse (h. or. §. 36).

§. 6. Phormio igitur ipso mensae quaestu conducto pecuniisque, quae ab aliis in mensa depositae erant, acceptis cum videret se, quia nondum esset civitate donatus, non posse exigere, quae ille in solo et aedibus mutua dedisset, satius putavit illum pecuniae debitorem habere quam cum iis agere, quibus Pasio crediderat. Nam libertinis et inquilinis Atheniensibus, cum ius agros et domos acquirendi (*ἔγκτησις γῆς καὶ οἰκίας*) iis esset nullum (Dem. 18, 91. Xen. Vect. 2, 6), si nomina lenta vel debitores solvendo non erant, iure exigere non licebat. — Quod Heraldus, ut supra commemoravimus, sola illa undecim talenta Pasionis, cum mensam locaret, Phormioni tradita esse et qui ex iis exsistere posset quaestum existimat, ego non assentior, quod neque ex verbis oratoris effici potest nec veri simile est Phormionem, nisi maiorem pecuniam exercuisset, centum minarum mercedem annuam (h. or. §. 11) soluturum fuisse.

τὴν ἐργασίαν αὐτὴν τὴν τῆς τραπέζης] usum mensae ipsum vel veniam mensae exercendae („Ausübung, Betreibung der Bank“) opp. depositis in mensa pecuniis ut §. 11. Cf. Pseudodem. 56, 4: *ἔχων τό τε δάνειον καὶ τὴν ἐργασίαν*. Dem. 37, 35: *ἐάν τις ἐξείλλῃ τινὰ τῆς ἐργασίας* (si quis quem repellit ex operis metallici exercitatione).

μήπω τῆς πολιτείας — οὔσης] civitatem decimo demum anno post Pasionis mortem adeptus est archonte Nicophemo Ol. 104, 4. 361/360 (Pseudodem. 46, 13).

ἔσοιτο εἰσπράττειν] de optativi temporis futuri usu non ita frequenti v. Krueg. §. 53, 7, 10. Exempla, quae apud Dem. leguntur, congessit Rehd. ind. I, Optativus. — *εἰσπράττειν* activum eadem significatione dicitur qua medium *εἰσπράττεσθαι*. Cf. h. or. §. 41 cum §§. 20. 27. 36. 38. Krueg. §. 62, 10, 6.

Πασίων] ne desideres articulum Pasionis nomini §. 4 bis additum, paucis exponam, quid in hac oratione de articuli nominibus propriis additi usu observaverim. Cf. Sigg p. 430. Legitur enim *Πασίων* ut hoc loco sic §§. 4. 30. 41. 43. (48), *ὁ Πασίων* §§. 4 (bis). 8, *Πασίωνι* §§. 5. 31, *τῷ Πασίωνι* §. 7, *Πασίωνα* §. 3, *τὸν Πασίωνα* §§. 6. 12; *Πασικλῆς* §. 22 init., *ὁ Πασικλῆς* §§. 20 et 22 exit., *Πασικλέους* §. 10, ubi nomen primum appellatur. Apollodori nomen semper articulo caret, item Phormionis praeter §. 45, ubi nominis notitia ostenditur, sicut §. 50: *τὸν Ἀριστόλοχον, τὸν Σωσίνομον, τὸν Τιμόδημον.* Eadem de causa *ὁ Σόλων* §. 27 dicitur. Reliqua quae leguntur hominum nomina — sunt autem septem et viginti — non sunt articulo ornata.

συνοικίαις] aedibus conducticiis, quas cives hominibus peregrinis et inquilinis, qui acquirendi possessiones iure carebant, locare solebant. Cf. Latinorum insulas. Quo negotio, cum numerus peregrinorum Athenis esset ingens, permagnam redisse mercedem non mirum est. Vid. Boeckh I 154 sq.

χρήστην ἔχειν] debitorem habere. Etymol. M. *χρήστης ὅ τε δανείσας καὶ ὁ δανεισάμενος ἢ ὀφειλέτης.* Harp. *δύο σημαίνει τοὔνομα τἀναντία. καὶ γὰρ τοὺς δανειστὰς* (creditores) *καὶ τοὺς δανειζομένους* (debitores). Haec quidem notio vocabulo subiecta est, si ductum est a verbo *κίχρασθαι* (mutuum sumere), illa, si a *κιχράναι* (mutuum dare).

οὕτω διὰ ταῦτ'] sic propter ea. Hac verborum abundantia orator utitur, ut argumentationi vim ac pondus afferat et persuadeat iudicibus ob eam ipsam causam quam dixerit Pasionem debitorem esse Phormioni.

εἰς τὴν μίσθωσιν] in tabulas locationis „Pachtkontrakt", quae vocabuli significatio in lexicis requiritur. Eandem vim habet §. 12; 45, 29. Pseudodem. 46, 17.

§. 7. *ὃν μὲν τοίνυν τρόπον*] eandem transeundi formulam v. Dem. 39, 6. Pseudodem. 48, 35: *ὃν μὲν τρόπον.*

ὑπ' αὐτοῦ τοῦ ἐπικαθημένου] ab eo ipso, qui mensae praepositus est et res rationesque curat. Pleniorem titulum

v. Pseudodem. 49, 17: *προσαγαγὼν* (sic Dind.; *προσάγων* Bekk. et Voem. ex S F Q) *πρὸς τὴν τράπεζαν ἐκέλευσεν ἀποδοῦναι Φιλίππῳ χιλίας δραχμὰς τὸν Φορμίωνα τὸν ἐπικαθήμενον ἐπὶ τῆς τραπέζης* (S; *τῇ τραπέζῃ* A r). Ibid. §. 42: *καθημένους ἐπὶ τῇ τραπέζῃ τότε* (S; *τῆς τραπέζης* A r). Editores codicis S lectionem secuti sunt, quod priore loco dubito an immerito fecerint. Cf. Isocr. 17, 12: *τὸν ἐπὶ τῇ τραπέζῃ καθήμενον* et §. 2: *οἱ ἐπὶ ταῖς τραπέζαις.* Arist. Ran. 1046: *ἀλλ' ἐπὶ σοί τοι καὶ τοῖς σοῖσι πολλὴ πολλοῦ 'πικαθῆτο.* — Hoc quoque loco editores prisci ex codicibus deterioris classis verba *ἐπὶ τῇ τραπέζῃ* inculcaverant, quae Bekk. in edit. a. 1824 uncis inclusit, a. 1854 delevit, item Dind. et Voem. Denique cf. Dem. 45, 33: *ἴστε γὰρ πάντες, καὶ ὅτ' ἦν ὁ πατὴρ ἐπὶ τοῦ τραπεζιτεύειν, τοῦτον καθήμενον καὶ διοικοῦντα ἐπὶ τῇ τραπέζῃ*, ubi verba *καὶ διοικοῦντα* mihi interpolata videntur.

τῆς διαθήκης τὸ ἀντίγραφον| testamenti exemplum. *ἀντίγραφον* singularis numerus legitur Andoc. 1, 76 et 79, pluralis Lys. 32, 7. Dem. 45, 23. 26; 41, 21. Pseudodem. 25, 47; 58, 18; 46, 28: *διαθηκῶν οὐδεὶς πώποτε ἀντίγραφα ἐποιήσατο, ἀλλὰ συγγραφῶν μέν, ἵνα εἰδῶσι καὶ μὴ παραβαίνωσι, διαθηκῶν δ' οὔ. τούτου γὰρ ἕνεκα καταλείπουσιν οἱ διατιθέμενοι, ἵνα μηδεὶς εἰδῇ ἃ διατίθενται.* Adiective Dem. 45, 10: *μεμαρτυρήκασι διαθήκας ἀντιγράφους ἐκείνων* cf. 20, 36. Quae testamento constituta fuerint, v. 45, 28. Quod Apollodorus loco quem modo laudavimus (46, 28) exempla testamenti fieri solere negat, id aliis exemplis (Dem. 41, 21. Lys. 32, 7) diluitur et falsum esse probatur; cf. Becker-Goell, Charikles I 259. Hoc autem exemplum, etiamsi Pasio ipse duplices litteras non composuerat, quod equidem vix pro certo putaverim, tamen post eius mortem veri simile est exscriptum esse, ut Phormioni daretur, cui filii minoris tutela permissa et mulier nuptum data erat. Tabulae ipsae ab eo servatae erant, apud quem Pasio deposuerat. Sed ut exemplum testamenti in iudicio prolatum fidem et auctoritatem haberet, addenda ei fuit provocatio (*πρόκλησις*), qua Phormio adversarium hortatus erat, ut exemplum ad verum Pasionis testamentum expressum esse testaretur; vid. ad §. 4. Et provocaverat Apollodorum, ut, si negaret exemplar esse testamenti Pasionis eas tabulas, quas in echinum coniecisset, Pasionis testamentum aperiret, quod apud Tisiam arbitrum Amphias Cephisophontis affinis exhibuisset. Cf. Dem. 45, 8. 10. Denique adicienda erant eorum testi-

monia, qui adfuerant apud Tisiam arbitrum, cum Phormio illum provocaret (ibid. §. 17). Quibus testimoniis quantopere usus fuerit, inde cognosci licet, quod Apollodorus factam esse provocationem postea infitiari ausus est. Cf. Dem. 45, 25. Pseudodem. 46, 5. Ex his testimoniis fuit Stephani illius Meneclis filii, quem falsi testimonii Apollodorus arcessivit or. 45 et 46, et aliorum, quorum nomina 45, 8 traduntur, et Cephisophontis Cephalonis filii Aphidnaei, qui relictas sibi ab Apollodori patre esse tabulas, quibus inscriptum esset: Pasionis testamentum (ibid. 19 sqq.), testatus erat.

§. 8. *ἐπειδὴ τοίνυν*] eadem formula saepius utuntur oratores, ut argumentis recitatis ad nova transeant. Sic Dem. 18, 213. Pseudodem. 32, 14. 20; 34, 12; 47, 41. 62. 67. 68; 59, 35. Aesch. 2, 47. 108; 3, 69. Isae. 9, 7. Lys. 7, 11; 13, 23. 29. 39.

ὁ Πασίων ἐτετελευτήκει] archonte Dysniceto Ol. 102, 3. 370/369. Cf. 45, 17; 46, 13.

τὸν δὲ παῖδ᾽ ἐπετρόπευεν] filii (designat Pasiclem, quem ille ex Archippa susceperat) tutelam administravit. — Tempore imperf. longinquitas tutelae significatur; aoristus *ἐπετρόπευσεν*, quem hic scribendum esse iudicavit Reiskius, declarat tutelae acceptionem. Cf. Lys. 10, 5. Frohb. ad Lys. 14, 36. Thuc. 1, 132: *Πλείσταρχον γὰρ — ἐπετρόπευεν*. De subita vice praesentis quod vocant historici (v. Krueg. §. 53, 1, 11) et temporum praeteritorum cf. Dem. 27, 13: *οὗτος γὰρ εὐθὺς μετὰ τὸν τοῦ πατρὸς θάνατον ᾤκει τὴν οἰκίαν εἰσελθὼν κατὰ τὴν ἐκείνου διαθήκην καὶ λαμβάνει τά τε χρυσία τῆς μητρός*. Pseudodem. 32, 6: *ὡς δ᾽ ἡλίσκετο ὁ Ἡγέστρατος καὶ δίκην δώσειν ὑπέλαβε, φεύγει καὶ διωκόμενος ῥίπτει ἑαυτὸν εἰς τὴν θάλατταν, διαμαρτὼν δὲ τοῦ λέμβου διὰ τὸ νύκτα εἶναι ἀπεπνίγη*. Neque praetermittendum est idem verbum *ἐπιτροπεύειν*, cui apud Atticos accusativus adiungi solet, apud Herodotum recipere genetivum, quod monuit Class. ad Thuc. 1, 132, 1. Cf. Herod. 1, 65: *ἐπιτροπεύσαντα Λεωβώτεω*. At id. 3, 36: *τὴν σεωυτοῦ πατρίδα ἐπετρόπευσας*. (Herod. 8, 127: *τὴν δὲ πόλιν παραδιδοῖ Κριτοβούλῳ Τορωναίῳ ἐπιτροπεύειν*, quem locum Papius laudat, huc non pertinet). Plura v. Krueg. Di. §. 46, 7, 7. Ex oratoribus Atticis cf. Isae. 1, 9: *ἐπετρόπευσεν ἡμᾶς*. 1, 30: *ὃς ἡμᾶς ἐπετρόπευε*. Dem. 27, 6: *δέκα ἔτη ἡμᾶς ἐπιτροπεύσαντες*. 28, 10: *πάντες δὲ κοινῇ με ἐπιτροπεύσαντες*. 45, 88: *ἐὰν*

μεμαρτυρηκέναι (sc. *φῶσι*) *τὸν μὲν ἐπιτροπευθῆναι κατὰ διαθήκας, τὸν δ' ἐπιτροπεῦσαι.* Passivum *ἐπιτροπεύεσθαι* etiam Dem. 27, 5; 30, 6 et alibi. - Mulier vidua, nisi testamento aliter cautum erat, post mortem mariti sub filii maioris cura custodiaque esse solebat; qui si nondum sui iuris factus erat, illa in patris tutelam redibat. Vid. Hermann §. 56. 7. Saepe autem fiebat, ut testamento alteri marito nuptum daretur. Demosthenis oratoris matrem constat Aphobo in matrimonium destinatam fuisse (Dem. 27, 5). Nam in secundas nuptias transire eam nulla lex prohibuit (Pseudodem. 40, 25. Lys. 32, 12). Quod Diog. Laert. 1, 56 legibus vetitum fuisse tutorem pupilli matrem assumere uxorem memoriae prodidit, id vel usu valere desierat vel irritum fieri testamento potuit.

ἁρπάζοντος δὲ τούτου] cum multa diriperet iste (scil. Apollodorus). Item *ἁρπάζειν* Isae. 11, 16: *ἐπεὶ οὐδ' ἂν οὗτος νῦν ἐμοὶ πράγματα παρεῖχεν, εἰ τὰ τοῦ παιδὸς εἴων ἁρπάζειν.* Pseudodem. 43, 80: *ἔχειν ἁρπάσαντες τὰ μὴ προσήκοντα.* 58, 64: *ἐξ ἀνάγκης μείζω προαιροῦνται παρὰ τῶν ἄλλων ἁρπάζειν, ἵνα μὴ μόνον αὑτοῖς, ἀλλὰ καὶ τούτοις ἔχωσιν ἀναλίσκειν.* Dem. 24, 60.

ἀπὸ κοινῶν ὄντων τῶν χρημάτων] eadem adiectivi collocatio quae dicitur praedicativa est paucis versibus post *ἐκ κοινῶν ἐλειτούργεις τῶν χρημάτων.* Quibus locis omnibus Apollodorum non de suis opibus, sed de communi fratrum pecunia consumpsisse graviter praedicare studet orator. Neque dubium est, quin adiectivi vel ante articulum vel post substantivum positi (cf. Pseudodem. 40, 15: *ἐκ δὲ τῶν παίδων κοινῶν ὄντων*) vis maior sit quam quod inter articulum et appellationem collocatur. Cf. Pseudolys. 2, 44: *κοινὴν τὴν ἐλευθερίαν* et §. 62: *κοινὴν τὴν πόλιν.* Krueg. §. 50, 11.

οἱ ἐπίτροποι] Phormio et Nicocles (45, 37). Plerumque enim pupillis plures destinari tutores solebant, ut singulorum potentia deminueretur neve in fortunas eorum, quorum tutelam acceperant, invaderent. Demosthenes quidem oratoris pater duobus liberis superstitibus tres tutores instituit. Nam tutorum erat non solum educare pupillos, sed etiam bona eorum sic administrare, ut fructus quam maximi redirent fundis ac praediis elocatis, quod dicebatur *μίσθωσις οἴκου.* Qua de re v. Boeckh I 157.

κατὰ τὰς διαθήκας] supra legitur *κατὰ τὴν διαθήκην* nullo significationis discrimine. Cf. *κατὰ τὴν διαθήκην* h. or. §. 34; 45, 37 sq.; *κατὰ διαθήκας* 45, 37.

ὅσ᾽ ἂν οὗτος — τούτοις ἐξελόντας τὰς ἀντιμοιρίας τὰ λοιπὰ νέμειν] hic est verborum ordo: *κατὰ τὰς διαθήκας ἐξελόντας τὰς ἀντιμοιρίας τούτοις, ὅσ᾽ ἂν οὗτος — ἀναλώσῃ*. Graeci *ἀντιμοιρίας* appellant partes hereditatis pares valore aliis contra positis partibus (Reiske). Verba *κατὰ τὰς διαθήκας* participio *ἐξελόντας* coniungenda sunt neque pertinent ad sequentia *τὰ λοιπὰ νέμειν*. Nam cum lex filios legitimos aequis ex partibus accipere patrimonium iuberet (Isae. 6, 25: *τοῦ νόμου κελεύοντος ἅπαντας τοὺς γνησίους ἰσομοίρους εἶναι τῶν πατρῴων*; cf. Thalheim, K. Fr. Herm. Antiq. II, 1 p. 55), non erat, quod id Pasio diserte constitueret testamento. Illud autem cavisse videtur, ut Apollodoro, donec patrimonium inter filios divideretur, de communibus pecuniis impensas tolerare liceret et, quantum de iis sumpsisset, tantum tutores, priusquam bona partirentur, detractum filio minori seponerent. Itaque sententia loci est: Si oporteret ipsos, quot partes Apollodorus de communi patrimonio consumpsisset, totidem partes aequales detractas seponere eoque facto hereditatem partiri, nihil fore reliquum. Denique ne offendas in dativo *τούτοις* ab appellatione *τὰς ἀντιμοιρίας* pendenti, v. Thuc. 1, 73, 1. Krueg. §. 48, 12. Rehd. ind. II, Dativ.

ἔσται περιόν] i. q. *περιέσται*, sed maiore orationis vi dictum. Rehd. ind. II, Participium. Krueg. §. 56, 3, 1.

νείμασθαι] medium hic eadem significatione qua modo activum *νέμειν* dictum est. Cf. Isae. 1, 16: *οἱ τούτων φίλοι καὶ Κηφίσανδρος ἠξίουν νείμασθαι τὴν οὐσίαν*. Quare quod Frohb. ad Lys. 19, 37 et 32, 4 exposuit, *νέμειν* dici de patre hereditatem distribuente, de filiis inter se partientibus *νέμεσθαι*, non caret exceptione.

§. 9. *καὶ νέμονται*] et vero partiuntur. Latini pari modo aliquid confirmandi causa et dicunt; qua de re v. Naegelsb. Stil. §. 192, 2, a. De *καί* v. Rehd. ad Dem. 3, 7. Cf. Dem. fals. leg. §. 19: *καὶ ἔπεισα τὴν βουλήν*.

τῆς προσόδου τὴν ἡμίσειαν] redituum semissem. Adiectivum *ἥμισυς* haud raro accommodatur ad genus et numerum genetivi quem vocant partitivi, ut Xen. Cyr. 1, 2, 9: *τὴν ἡμίσειαν τῆς φυλακῆς*. Thuc. 5, 31, 2: *ἐπὶ τῇ ἡμισείᾳ τῆς γῆς*. Dem. 20, 8: *τὸν ἥμισυν τοῦ χρόνου,* ubi West. laudat 15, 16: *τὸν λοιπὸν τοῦ χρόνου*, 9, 52: *τῆς χώρας ἧς ἄγειν καὶ φέρειν ἔστι πολλήν*. Adde 4, 16: *τοῖς ἡμίσεσι τῶν ἱππέων*. Xen. Anab.

4, 2, 9: *τῶν ὀπισθοφυλάκων τοὺς ἡμίσεις*. Id. Cyr. 2, 3, 17: *τοὺς ἡμίσεις τῶν ἀνδρῶν*. Ibid. 2, 4, 22: *τοὺς ἡμίσεις Περσῶν*. 4, 5, 1: *τοῦ πεποιημένου σίτου τὸν ἥμισυν*. Dem. 27, 18: *τὰ ἡμίσεα τῶν ἀνδραπόδων*. Krueg. §. 47, 28, 9. At h. or. §. 37: *τὸ ἥμισυ τῆς ὅλης μισθώσεως*.

τούτῳ ἀπεδίδοσαν] isti (Apollodoro) reddebant, scil. quotiens merces solvebatur. *ἀποδιδόναι* est persolvere debitum. Cf. Dem. 41, 9: *τὴν τιμὴν ἀποδεδωκέναι*. Isae. fr. 29 (Scheibe): *ἀποδεδωκότι τὰς μισθώσεις* i. e. pensiones vel reditus e fundis elocatis perceptos. Cf. h. l. *τὰς ἐπιγιγνομένας μισθώσεις*.

πῶς ἔνεστ' ἐγκαλεῖν αὐτῷ μισθώσεως;] qui iste agere potest locationis? *αὐτῷ* cum *ἔνεστι* iungendum esse apparet ex verbis, quae infra leguntur *ἔστ' εἰπεῖν αὐτῷ* (ubi dubito an *ἔνεστ'* corrigendum sit, qua scriptura oratio multo fit numerosior, cf. §. 43. Sed ne quis *ἔνεστ'* verbum post *ἀπείληφεν* in *ἔστ'* corruptum esse miretur, vide quaeso, quae de hoc vitii genere disputavit Ed. Woelfflinus Publ. Syr. Sentent. praef. p. 3 sq. et Philol. 26 p. 114). Quamquam dativum *αὐτῷ* verbum *ἐγκαλεῖν*, quod saepissime ad res iudiciales pertinet, patitur. Cf. Dem. 20, 138; 55, 17. Pseudodem. 40, 51. Lys. 5, 3; 19, 55. Isocr. 12, 101. Isae. 1, 15. Dinarch. 1, 112. (Frohb. ad Lys. 15, 5). Proprie enim significat *ἐγκαλεῖν τινί τι* appellare aliquem de pecunia, ut Pseudodem. 33, 25: *οὐδ' ἐγκαλέσαι μοι ἐτόλμησεν*, sed dativus personae saepius omittitur; cf. Dem. 31, 6: *τὰς ὀγδοήκοντα μνᾶς ἐνεκάλεις*; h. or. §. 14: *τρισχιλίας ἐγκαλέσας ἀργυρίου δραχμὰς — καὶ χιτωνίσκον τινὰ καὶ θεράπαιναν*. §. 12: *ἐγκαλοῦντα ἀφορμὴν* et *μηδὲν ἐγκαλοῦντα*. §. 15: *τούτων οὐδὲν ὧν νῦν ἐγκαλεῖ* per attractionem pro *ἃ νῦν ἐγκαλεῖ*, item §. 22; §. 18: *οὐδὲν ἔχοντα δίκαιον εἰπεῖν περὶ ὧν ἐγκαλεῖ* i. e. *περὶ τούτων ἃ ἐγκαλεῖ*, cf. 41, 11. Omnibus his locis verbo adiuncta notio iure petendi est. Rarius legitur *ἐγκαλεῖν περί* (*ὑπέρ*) *τινος* queri de aliqua re, ut h. or. §. 19: *ἐνεκάλεσας πώποτε ὑπὲρ τῶν γραμμάτων*. Pseudodem. 60, 22: *περὶ τούτων ἐγκαλέσαι προσήκει*. Isocr. 4, 40: *οἱ γὰρ ἐν ἀρχῇ περὶ τῶν φονικῶν ἐγκαλέσαντες*. Isae. 3, 9: *ἐγκαλῶν τῷ κληρονόμῳ περὶ τῆς προικός*. Eadem vis verbo hic subest, sed huius constructionis exempla perpauca sunt. Cf. Zink Act. Sem. Erl. III 90. Reiskius quod articulum *τῆς* ante *μισθώσεως* requirit, errare mihi videtur. Nam tales genetivos criminis, ut *αἰτίας*, *ἀφορμῆς*, *βλάβης*, *ὕβρεως*, sine articulo poni bene monuit H. Schaeferus.

Cf. etiam Schoem. ad Isae. p. 231, Frohb. ad Lys. 13, 60, Westerm. ad Dem. 54, 1.

καὶ μὴν οὐδὲ τὰς ἐπιγιγνομένας μισθώσεις ὡς οὐκ ἀπείληφεν] neque vero posteriores, quae inde a rei familiaris partitione solvebantur, pensiones sese accepisse negare potest. Papius minus recte convertit „die ihm zufallenden, fälligen Pachtgelder". De hac subiecti anticipatione in eiusmodi transeundi formulis frequentissima v. Frohb. ad Lys. 12, 27. Krueg. §. 61, 6.

§. 10. Phormio nisi omnia quae debuit vobis (designat Apollodorum eiusque fratrem Pasiclem) persolvisset, cum recepto in viros Pasicle cederet locatione, certe non liberatus esset omnibus criminibus, sed si vobis aliquid deberet, tum e vestigio exegissetis.

δοκιμασθέντος Πασικλέους] Ol. 104, 3. 362/361. Cf. §. 37. Atheniensium adulescentes, priusquam sui iuris esse et suam ipsi rem familiarem gerere (*κρατεῖν τῶν χρημάτων*) inciperent, a tribulibus (*δημόταις*) probari solebant, num et annorum maturitatem adepti et genere liberali nati essent, quod examen eos decimo septimo aetatis anno expleto subisse veri simile est. Qua de re v. A. Schaefer Dem. III, addit. II 19 sq. Dittenberger, de ephebis Atticis, Götting. 1863 p. 8 sqq.; Thalheim l. l. p. 11. — *δοκιμάζεσθαι* est probari; cf. Dem. 21, 157; 27, 36; 30, 15; 57, 62. 67. Lys. 10, 31; 21, 1; 32, 9. 24. Isocr. 16, 29. Pleniorem formam *δοκιμάζεσθαι εἰς ἄνδρας* v. Isocr. 12, 28. Dem. 27, 5 et 30, 6: *ἀνὴρ εἶναι δοκιμασθείην*. Lys. 26, 21. Qui bene erant probati, in album lexiarchicum inscribi solebant, *ἐγγραφῆναι εἰς τὸ ληξιαρχικὸν γραμματεῖον* Aesch. 1, 18, *ἐγγραφῆναι καὶ ἐν τῷ ληξιαρχικῷ γραμματείῳ* Pseudodem. 44, 35, *εἰς τὸ γραμματεῖον ἐγγραφῆναι* ibid. 37. Idem valet *εἰς τοὺς δημότας ἐγγραφῆναι* Dem. 18, 261. Cf. 39, 5. 29; 57, 46. 61. Pseudodem. 40, 34; 44, 38. 44; 59, 13. 122, *εἰς ἄνδρας ἐγγράψαι* Dem. 19, 230. Praeterea orbi puberes, num suscipere patrimonium a tutoribus possent, examinabantur (Bekk. Anecd. 235). Quibus adeundi patrimonii ius tributum erat pupillis licebat a tutoribus rationem cum omnis tutelae gestae tum pecuniarum administratarum reposcere. Itaque legitur §. 20: *ὁ Πασικλῆς ἀνὴρ γεγονὼς ἐκομίζετο τὸν λόγον τῆς ἐπιτροπῆς*. Cf. Dem. 30, 15: *δοκιμασθεὶς ἐνεκάλουν καὶ λόγον ἀπῄτουν*. Lys. 32, 25: *εἰ — τὰ δὲ σωθέντα τῶν χρημάτων αὐτὸς ἕξει, ὅποι μὲν ἀνήλωται τὰ χρήματα*

οὐ χαλεπῶς εἰς τὸν λόγον ἐγγράψει. Nec poterant tutores recusare, quin pecuniarum expensarum rationem redderent (*ἀποφέρειν λόγον* Dem. 27, 20. 39; 28, 9; 38, 14. 15. 19). Si res male administrata erat, pupillis intra quinquennium (Dem. 38, 17. 27) crimine tutelae male gestae (*δίκη ἐπιτροπῆς* v. Frohb. ad Lys. 32 praef. n. 25) eos arcessere licitum concessumque erat. Cf. Plat. Legg. XI, 928 C: *ἅμα δ' ἂν ἡβήσῃ τις τῶν ὀρφανῶν, ἐὰν ἡγῆται κακῶς ἐπιτροπευθῆναι, μέχρι πέντε ἐτῶν ἐξηκούσης τῆς ἐπιτροπῆς ἔστω δίκην λαχεῖν ἐπιτροπίας.*

ἀφήκατ' ἂν αὐτὸν ἁπάντων τῶν ἐγκλημάτων] Apollodorum et Pasiclem eius fratrem alloquitur. Si quid inter quos convenerat, pacto adicere solebant omnia inter se crimina esse abolita. Cf. Dem. 41, 4: *τῶν πρὸς ἀλλήλους ἐγκλημάτων ἀπηλλάχθαι πάντων.* Ibid. 29: *τοῖς φίλοις οὐκ ἐβούλετο ἐπιτρέψας ἀπαλλαγῆναι τῶν πρὸς ἐμὲ ἐγκλημάτων.* Lys. 32, 2. — *ἂν* particula, quae in principio periodi posita erat, ut statim ab initio, quae ratio esset huius enuntiati, audientibus appareret, h. l. perspicuitatis causa repetitur (Franke ad Dem. 1, 10). Cuius rei permulta apud Demosthenem exstant exempla, nullum codicum fide confirmatum apud Lysiam, ut ait Frohb. ad Lys. 31, 28. Vid. Rehd. ind. II, *ἄν.* Animadvertas denique insolentiores aoristi I. formas *ἀφήκατε* et *ἀφῆκαν, παρέδωκαν* §§. 11 et 44, quibus haud raro usus est Demosthenes (Krueg. §. 36, 10, 1). Cf. *ἐπέθηκαν* Pseudodem. 47, 2, *ἀφῆκαν* Thuc. 7, 19, 4, *ἀφήκαμεν* Isae. 5, 1, *παρῆκαν* Thuc. 4, 38, 1, *παρέδωκαν* Isocr. 12, 106, *ἀπέδωκαν* Lys. 19, 7, *ἀπεδώκαμεν* Isae. 5, 28, *ἐδώκατε* Antiph. 5, 77; Veitch, Greek verbs, s. v. *δίδωμι.* Eadem aoristi I. et II. vicissitudo, quae h. or. §§. 11 et 12 legitur, est in Dem. 28, 6 sq.: *ἀπέδοσαν — παρέδοτε — παρεδώκατε.*

ὡς τοίνυν ταῦτ' ἀληθῆ λέγω καὶ — λαβέ] eadem verba v. §§. 13. 22. 35. Quae sint *ταῦτα* his locis orator diligentius explicat et pluribus verbis exponit, ut, antequam argumentum recitetur, iudices summam testimonii praesciant. Quod alibi quoque reperitur, ut Dem. 54, 12: *ὡς οὖν καὶ ταῦτ' ἀληθῆ λέγω καὶ —.* Pseudodem. 47, 39; 50, 37. Dem. 27, 39; 57, 14; 29, 18: *καὶ ταῦθ' ὡς ἀληθῆ λέγω καὶ —.* item 21, 107. 119; 29, 26; 38, 13: *ἀλλὰ μὴν ὡς ἀληθῆ λέγω καὶ —.* Isae. 7, 10: *ὡς δ' ἀληθῆ λέγω καὶ —.* Dem. 54, 29: *ὅτι δ' ἀληθῆ λέγω καὶ —.* Pseudodem. 32, 19: *καὶ ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω καὶ —.* 43, 70: *ὅτι δὲ ταῦτ' ἀληθῆ λέγω καὶ —.* 47, 39: *ὡς οὖν ἀληθῆ*

λέγω καὶ ὅτι —. Plura v. ad §. 21. Formulam hanc, qua testimonia inferuntur, olim ita esse explicandam putaverunt, ut simul audiretur *ἵνα δ' εἰδῆτε*. Probabilior fuit Schoemanni ad Isae. 1, 16 interpretatio, qua illud *ὡς* vel *ὅτι ἀληθῆ λέγω* absolute dictum esse statuit: quod attinet ad veritatem eorum, quae dico. Optime et ad persuadendum accommodate hanc formulam, unde profecta esset, exposuit Rehd. ad Lycurg. p. 129. Primum enim nihil audiendum esse apparet ex locis, quales sunt h. or. §. 25: *ὡς δ' ἀληθῆ λέγω, μεμαρτύρηται ὑμῖν*, §. 32: *ἀλλὰ μὴν ὅτι γε δόντος καὶ ἐπισκήψαντος τοῦ σοῦ πατρὸς ταῦτ' ἐπράχθη, οὐ μόνον ἐκ τῆς διαθήκης ἔστιν ἰδεῖν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἀλλὰ καὶ σὺ μάρτυς αὐτὸς γέγονας*. His simillimi sunt §. 32: *ἀλλὰ μὴν ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, μεμαρτύρηται τῷ* (ex Reiskii coniectura) *τὸ τέταρτον μέρος λαβεῖν*, §. 21: *ἀλλὰ μὴν ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, τὴν μὲν νομὴν ἀκηκόατε ἣν ἐνείματο καὶ μεμαρτύρηται ὑμῖν*. Inde iam facilis transitus est ad formulam illam frequentissimam *ὡς* (*ὅτι*) *ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, λαβὲ* (*λαβέ μοι*) *τὴν μαρτυρίαν*, quae in h. or. longe saepissime legitur: §§. 10. 13. 16. 22. 35. Cf. Dem. 20, 115; 21, 121. 82; 23, 159: *ὅτι τοίνυν οὕτω ταῦτ' ἔχει, λέγε*.

ἐνείματο οὗτος πρὸς τὸν ἀδελφὸν παῖδ' ὄντα] scil. *τὴν ἄλλην οὐσίαν πλὴν ὧν ἐμεμίσθωτο Φορμίων*. Nam mensam et scutorum officinam non ante diviserunt, quam Pasicle sui iuris facto Phormio locatione cessit.

§. 11. **τοίνυν**] iam, iam vero h. l. non est ***συλλογιστικόν***, sed *μεταβατικόν*, ut §§. 8. 22. 23 (cf. Dem. 8, 73: *ἤδη τοίνυν*). 28. 36. Cf. Rehd. ind. II, *τοίνυν*, Weber ad Dem. 23, 76.

λαβὼν αἵρεσιν] optione data, utrum vellet. Id unum ius praecipuum Atheniensium leges videntur filio natu maiori concessisse, ut inter bona a parentibus relicta eligere liceret; nam commune patrimonium aequabiliter ad omnes filios legitimos venire iusserunt; vid. ad §. 8. Neque vero quicquam obstabat, quin filio maiori a patre *πρεσβεῖα* legarentur. Cf. §. 34.

εἰ ἦν καί τις ἀφορμή] si fuit etiam aliqua i. e. vel minima sors. De particula *καί* pronominis vim deminuente v. Krueg. §. 51, 15, 3, Kuehn. §. 728, 2 (edit. I). *ἀφορμή* idem est quod *χρήματα τῇ τραπέζῃ ἴδια* „Betriebskapital". Cf. Harp. *ὅταν τις ἀργύριον δῷ ἐνθήκην, ἀφορμὴ καλεῖται ἰδίως παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς*. Liban. arg. h. or. Bekk. Anecd. p. 472, 6. Meier et Schoem. p. 511 (p. 697 ed. Lips.): „*ἀφορμὴ* heisst das Geld,

das jemand bei einem Trapeziten in dessen Privatbank (τρά-πεζα) als Bestandtheil der Fonds derselben, mit denen die Geschäfte besorgt werden sollen, einlegt". Cf. etiam h. or. §§. 12 et 44; 45, 5.

οὔτε γὰρ ἡ πρόσοδος — χρήματα τῇ τραπέζῃ ἴδια] neque enim officinae reditus erant ampliores, sed minores, neque possessio iucundior, si sors aliqua mensae fuisset. Nam licebat ei pro arbitrio agere neque adeo perdere omnia periclitabatur. — Voemelius auctore H. Schaefero hanc periodum sic interpunxit: *τί δή ποτ᾿ ἂν εἵλετο τοῦτο μᾶλλον ἢ ᾿κείνην (οὔτε γὰρ ἡ πρόσοδος ἦν πλείων ἀλλ᾿ ἐλάττων — τὸ μὲν γὰρ τάλαντον, ἡ δ᾿ ἑκατὸν μνᾶς ἔφερεν — οὔτε τὸ κτῆμ᾿ ἥδιον), εἰ προσῆν χρήματα τῇ τραπέζῃ ἴδια*; Male. Nam neque duae interpositiones ferri possunt et comma superius *εἰ ἦν καί τις ἀφορμὴ τούτῳ πρὸς τῇ τραπέζῃ* in exitu periodi iteratum aliquid molesti ac putidi habet. At verba *εἰ προσῆν χρήματα τῇ τραπέζῃ ἴδια* iis quae proxime antecedunt bene continuantur. — Cum verbis *οὔτε πλείων ἀλλ᾿ ἐλάττων* cf. Antiph. 2, γ, 6: *οὐκ ἐλάσσω ἀλλὰ πολὺ μείζω*, de qua figura quam vocant *σχῆμα κατ᾿ ἄρσιν καὶ θέσιν* v. Rehd. ind. I, *ἄρσις*.

§. 12. Cum multa proferri possint argumenta, quibus Apollodorum calumniose queri de sorte appareat, tum illud maximum videtur esse, quod in locationis pacto scriptum est debere Pasionem mensae undecim talenta, deinde Apollodorus patrimonium cum fratre partiens nihil petiit, denique cum aliis postea eadem tantidem locaret, nullam de suo additam pecuniam tradidit. — Tertium quod affert orator argumentum minus persuadendi necessitatem adhibet. Ut enim caput in mensa fuerit Pasionis, cum Phormioni locaret, nonne fieri potuit, ut ab hoc intra octo annos, quibus exercuit mensam, fraudaretur? Eis quidem, qui postea conduxerunt, non esse traditum caput vel ideo credibile est, quod non eadem mercede, ut affirmat orator, locaverunt mensam. Cf. §. 37. Demosthenes autem sic ratiocinatur: Si Apollodorus a Phormione spoliatus esset illo pecuniarum capite, quod pater reliquisset, illum necesse fuit tantundem de suo undeunde expedire, quod novis conductoribus elocaret. Quod factum non esse constat. Ergo Pasio proprios nummos in mensa depositos non tradidit.

πολλὰ δ᾿ ἄν τις ἔχοι λέγειν καὶ ἐπιδεικνύναι] cf. Dem. 20, 163: *πολλὰ δ᾿ ἄν τις ἔχοι λέγειν ἔτι καὶ διεξιέναι*

περὶ τοῦ —. 24, 194: *πολλὰ δ' ἄν τις ἔχοι λέγειν.* — *σημεῖον* est signum, indicium, quo quid probatur. Cf. Isae. 1, 31: *σημεῖα δ' ὑμῖν ἐρῶ μεγάλα.* Aesch. 1, 52: *μέγα δὲ πάνυ τούτου σημεῖον ἔργῳ ὑμῖν οἶμαι ἐπιδείξειν.*

τεκμήριον τοῦ μηδεμίαν λαβεῖν ἀφορμήν] argumentum, quo hunc nullam sortem mensae accepisse demonstratur. *τεκμήριον* est id, quo quid certis signis cognoscitur, argumentum nihil dubii relinquens. De vocabulorum *σημεῖον* et *τεκμήριον* notione v. Arist. rhet. 1, 2; Ernesti Lex. techn. Gr. s. vv. *σημεῖον* et *τεκμήριον.* Id, quod est demonstrandum, infertur vel articuli genetivo *τοῦ* c. infin. (ut h. l., Dem. 54, 9: *ὃ δὲ τῆς ὕβρεώς ἐστι τῆς τούτου σημεῖον καὶ τεκμήριον τοῦ πᾶν τὸ πρᾶγμ' ὑπὸ τούτου γεγενῆσθαι.* 21, 89: *ὃ καὶ μέγιστόν ἐστι τεκμήριον τοῦ μηδὲν ἠδικηκέναι τὸν ἄνθρωπον.* 31, 5. 10. Pseudodem. 44, 53; 56, 25) vel particulis *ὅτι* et *ὡς.* Plura v. Frohb. ad Lys. 15, 5 et 25, 5.

ἀφορμὴν τούτῳ — τοῦτον] illo pronomine Phormio designatur, hoc Apollodorus. Cf. ad §. 42.

ταὐτὰ ταῦτα] mensam et scutorum officinam. Cf. §. 35: *χρόνον πολὺν τοῦδ' ἀπηλλαγμένου μισθωταὶ τούτοις ἐγίγνοντο τῆς τραπέζης καὶ τοῦ ἀσπιδοπηγείου.* Quo iure Apollodorus hereditate divisa, cum ipse scutorum officinam elegisset, omne patrimonium locarit, minime liquet. Sed *φανήσεται* de illo intellegendum esse bene monuit H. Schaeferus, qui in eo erravit, quod unam mensam a fratribus locatam esse censuit. Illud mihi proxime accedere ad veritatem videtur, fratres, cum ipsi partes a patre hereditate acceptas administrare noluerint, quod fortasse inde minorem ad se pervenire fructum quam ex locatis cognoverant, societatem inisse, qua pariter ac promiscue omnia locarent. Hinc fit, ut orator modo, ut §. 12 sq., singulari numero utitur — dicit autem Apollodorum, fratrem maiorem — modo, ut §. 14, plurali.

§. 13. *νῦν προσῆκεν*] i. e. eo tempore, quo mensam a Phormione traditam fratris nomine locavit (Auger). Cf. 19, 65: *ὅτε γὰρ νῦν ἐπορευόμεθα εἰς Δελφούς.* 29, 9: *νῦν πρὸς ἅπαν τὸ ὕδωρ αὐτὸ καθ' αὑτὸ διδάξειν ἠμέλλομεν.* Xen. Cyr. 4, 5, 48. Kuehn. gr. Gr. §. 690, 1.

ἐμισθώσαντο] scil. *Ξένων καὶ Εὐφραῖος καὶ Εὔφρων καὶ Καλλίστρατος,* qui faeneratores iam antea in Pasionis mensa operam edidisse videntur. Cf. Pseudodem. 49, 44: *παρὼν ὁ*

Φορμίων καὶ ὁ Εὔφραῖος οἱ δόντες τὸ ἀργύριον οἷς ἐκέλευσεν οὗτος.

§. 14. *ἐλευθέρους ἀφεῖσαν*] ex his verbis colligi potest illos olim Pasionis servos fuisse. Etenim *ἐλεύθερον ἀφιέναι* proprie significat servum manu mittere. Cf. Dem. 29, 25 et 31: *τὸν Μιλύαν ἐλεύθερον εἶναι ἀφεθέντα.* Pseudodem. 47, 55: *ἄνθρωπος εὔνους καὶ πιστὴ καὶ ἀφειμένη ἐλευθέρα ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ. συνῴκησε δὲ ἀνδρί, ἐπειδὴ ἀφείθη ἐλευθέρα.* Ibid. 72: *ἀφεῖτο γὰρ ὑπὸ τοῦ πατρὸς τοῦ ἐμοῦ ἐλευθέρα.* Plat. Rep. IX, 591 A: *καὶ τότε δὴ ἐλεύθερον ἀφίεμεν.* — Neque est, cur miremur, si Apollodorus et Pasicles istius generis hominibus locaverunt mensam, quam exercere et faenus quaerere cives ingenui alienum a sua dignitate ducebant. Cf. §. 30.

χιτωνίσκον τινά] cf. Dem. 21, 216: *θοἰμάτιον προέσθαι καὶ μικροῦ γυμνὸν ἐν τῷ χιτωνίσκῳ γενέσθαι.* Aesch. 1, 131: *εἰ γάρ τίς σου τὰ κομψὰ ταῦτα χλανίσκια περιελόμενος καὶ τοὺς μαλακοὺς χιτωνίσκους.* Guhl et Kohner II² 179 sqq.; Becker, Charikles III² 210 sqq.; K. F. Herm. Ant. IV 191, 5 ed. Bluemner; Boehlau, Quaest. de re vestiaria Graecorum, Wimariae 1884 p. 20 sqq.

§. 15. *ἐπιτρέψας δὲ τῷ τε τῆς ἑαυτοῖ γυναικὸς πατρὶ καὶ τῷ συγκηδεστῇ τῷ ἑαυτοῦ*] scil. *τὴν δίαιταν* vel *τὴν κρίσιν. ἐπιτρέπειν* proprie dicitur pro *διαιτητὰς αἱρεῖσθαι* (Harp.). Quorum arbitrio res controversa permittitur, ii *διαιτηταί* ab Atheniensibus dicuntur. De veriloquio disputavit Doederl. oratt. publ. p. 327. Constat eorum duo genera fuisse, *διαιτητὰς κληρωτούς* et *αἱρετούς*. Cf. Harp. *οἱ δὲ διαιτηταὶ κλήρῳ λαχόντες ἢ ἐπιτρέψαντες αὐτοῖς τῶν κρινομένων τοῖς κρινομένοις διῄτων.* Atque de illis ad §. 18 dicendum erit. Privati autem arbitri altera parte provocante (*προκαλεῖσθαι* Pseudodem. 40, 44; 52, 44) litigantium consensu (Dem. 21, 94) ex eo numero, qui erant propositi (*προβάλλεσθαι* Pseudodem. 40, 44), terni quaternive numero eligebantur, ut de pactionibus privatis decernerent et civium controversias dirimerent. Quos ex propinquis et affinibus plerumque esse lectos (Pseudodem. 59, 45) consentaneum est, ita ut bini alterius partis essent (Isae. 5, 31). Itaque ex iis arbitris, quos hic Phormio obtulisse videtur, Lysinum et Andromenem ipsius partes suscepisse putandum est. Arbitri electi efficiebant, ut litigantes in templum Minervae (h. or. §. 15. Pseudodem. 59, 46) vel in alium locum sacrum convenirent.

Nam et ipsi iurabant (Dem. 29, 58. Pseudodem. 34, 21) et testes iudicio adhibendos iureiurando astringere solebant, quia ab eorum sententia (*γνῶσις*) nulla erat provocatio et causam ab iis decisam ad aliud iudicium deferri lex vetuit (Dem. 21, 94). Quare qui arbitris causam permittebant, ii pacto (*συνθῆκαι* Pseudodem. 33, 14; 34, 18) sese obligare cogebantur, ut in arbitrorum sententia permanerent (*τοῖς ὑπ' ἐκείνων γνωσθεῖσιν ἐμμένειν* Dem. 27, 1. Pseudodem. 40, 42. Isae. 5, 31). Plura de his arbitris v. Meier et Schoem. p. 766—772; K. Fr. Herm. Ant. IV 2, 98, 3 ed. Thalheim. — Apollodori socer fuit Dinias Theomnesti filius Athmoneus. Cf. §. 17; 45, 56. Pseudodem. 50, 24. 26. Affinis eius fuit Nicias, qui alteram Diniae filiam in matrimonio habuit. Cf. h. or. §. 17; 45, 70.

δοῦναι δωρεάν] cf. Dem. 19, 170 sq. Pseudodem. 42, 19. Isae. 2, 31: *διῄτησαν ἡμᾶς ἀποστῆναι ὧν οὗτος ἠμφισβήτησε καὶ δοῦναι δωρεάν· οὐ γὰρ ἔφασαν εἶναι ἄλλην ἀπαλλαγὴν οὐδεμίαν, εἰ μὴ μεταλήψονται οὗτοι τῶν ἐκείνου.*

τὸ προσόν] *χιτωνίσκον καὶ τὴν θεράπαιναν.* Cf. Dem. 27, 36: *ὅσον εἰς τὴν πόλιν εἰσενηνόχασι, τοῦτο ἀπὸ τῶν ὀκτὼ ταλάντων καὶ τοῦ προσόντος ἀφαιρετέον ἐστίν.*

τὸ δεύτερον] ad verba quae antecedunt referendum est. Primum enim Apollodorus una cum Pasicle fratre conductionis tempore circumacto Pasionem omnibus criminibus liberaverat. Cf. §§. 10 et 23.

εἰς τὸ ἱερὸν τῆς Ἀθηνᾶς ἐλθών] in aede Minervae, quae in arce Athenarum erat, litigantium partes disceptata controversia saepius postulata quibus satisfactum erat inter se remittere solebant. Cf. Isocr. 17, 17: *ἐδεῖτό μου εἰς ἱερὸν ἐλθόνθ' ἑαυτῷ συγγενέσθαι. καὶ ἐπειδὴ ἤλθομεν εἰς ἀκρόπολιν κ.τ.λ.* —. Andoc. 1, 42.

§. 16. *πάσας αἰτίας συμπλάσας καὶ ἐγκλήματα*] egregie orator tribus verbis in *ας* longum exeuntibus et littera *σ* frequentata animi iram atque indignationem exprimit. Cf. Pseudodem. 25, 83: *ὁ βάσανος οὗτος οὕτως ὠμῶς καὶ πικρῶς.* Rehd. ad Dem. 9, 27 et ind. I, Alliteration: *ἄχαρι δὲ καὶ ἀηδὲς τὸ σ καὶ εἰ πλεονάσειε σφόδρα λυπεῖ* (Dion. H. de comp. verb. p. 171 ed. Sch.). Nempe bilem ei commovit Apollodori avaritia insatiabilis et impudentia, qua novis semper et inauditis criminibus excogitatis Phormioni negotia facessivit. Quae indignatio quo magis ex ipsis verbis emineret, verbum *συμπλάσας*, quod ad

ἐγκλήματα quoque pertinet, priori appellationi apposuit. πάσας αἰτίας nos Germani convertimus „alle möglichen Beschuldigungen". συμπλάττειν ex arte fingendi translatum est ad fraudem et fallaciam significandam. Eadem translatione Latini utuntur, ut Ter. Heaut. 3, 2, 22: aliquid reperiret, fingeret fallacias. Id. Eun. 1, 2, 120: finxisse falsi quicquam; cf. Xen. Anab. 2, 6, 26: πλάσασθαι ψευδῆ. Ter. Eun. 1, 2, 58: fingit causas coll. Dem. 19, 215: προφάσεις πλάττονται. 4, 48; 18, 121: λόγους πλάττεις. Hor. Epist. 1, 15, 30: opprobria fingere. Pseudodem. 25, 28: προφάσεις πλάττων καὶ ψευδεῖς αἰτίας συντιθείς. Dem. 22, 4: πλάττων καὶ παράγων πρὸς ἕκαστα τούτων κακούργους λόγους. 38, 9: τοῦτο γὰρ πλάττουσιν οὗτοι καὶ παράγουσι. Pseudodem. 52, 12: ἐξ ὧν κατὰ μικρὸν ἡ δίκη αὕτη πέπλασται. Cum συμπλάττειν cf. confingere; Ter. Hec. 4, 4, 71: confingis falsas causas ad discordiam, Liv. 40, 42, 4: ne crederent confictis criminibus in se. Merguet Lex. Cic. s. v. confingere. — Eandem quam h. l. sententiam habet Dem. 18, 15: τοσούτοις ὕστερον χρόνοις αἰτίας καὶ σκώμματα καὶ λοιδορίας συμφορήσας, quocum Straub (de tropis et figuris, quae inveniuntur in orationibus Demosthenis et Ciceronis, Wirceburgi 1883 p. 49) confert Cic. Sull. 76: acervos scelerum.

πρὸ τούτου] cave audias χρόνου. Nam τούτου est gen. neutr. ut Plat. Tim. 48 B: τὰ πρὸ τούτου πάθη, Dem. 6, 10: τὰ πρὸ τούτων. Multo saepius legitur πρὸ τοῦ, de quo v. ad §. 33.

τοῦτο γάρ ἐστι μέγιστον ἁπάντων] haec verba orationi media interposuit orator, ut verborum τοῦ πρὸ τούτου ipsa quoque collocatione insignium vim et gravitatem explanaret atque augeret. Alia est causa parenthesis, quae h. or. §. 48 legitur.

ᾐτιάσατο] hoc verbum, cum proprie ad unum nomen αἰτίας conveniat, ad alterum quoque ἐγκλήματα adiungitur. Habes igitur quod Graeci appellare solent ζεῦγμα. Cf. Dem. 18, 151: ἐγκλήματα καὶ πόλεμος πρὸς τοὺς Ἀμφισσεῖς ἐταράχθη.

ὡς τοίνυν ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, λαβέ μοι] cf. Dem. 57, 28: ὡς τοίνυν καὶ ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, λαβὲ τὴν μαρτυρίαν. 20, 115: ὅτι τοίνυν ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, λαβέ μοι —. 21, 121: ὅτι τοίνυν καὶ ταῦτ' ἀληθῆ λέγω, κάλει μοι —. Plura v. ad §. 10.

ἐν ἀκροπόλει] abest articulus, cum ἀκρόπολις sit nominis proprii instar. Cf. Scheibe, comm. crit. de Isae. p. 19: 'Quae res semel tantum inveniuntur ideoque unum quoddam iam per se effi-

ciunt atque nominis proprii sunt instar, eas ornesne articulo an non ex eo pendet, utrum eas ab aliis rebus discernere velis an per se seorsum cogitare: si discernere voles, addendus articulus, sin minus, addatur an omittatur nihil refert'. *ἐν ἀκροπόλει* Pseudodem. 25, 4; 58, 48; 59, 105, *εἰς ἀκρόπολιν* Dem. 9, 41. Pseudodem. 58, 19. Isocr. 17, 20, *εἰς τὴν ἀκρόπολιν* Dem. 3, 24; 24, 120. Pseudodem. 25, 99, *ἐξ ἀκροπόλεως* Dem. 24, 129. Krueg. §. 50, 2, 15. Frohb. ad Lys. 12, 16; 13, 80; 25, 18.

τὴν μαρτυρίαν τῶν παραγενομένων] hoc testimonium ideo necesse fuit recitari, quod arbitrorum ex compromisso electorum sententia, nisi testimoniis eorum, qui in re controversa erant advocati, confirmata est, nullam habet auctoritatem. Meier et Schoem. p. 662 sq. n. 16.

§. 17. *ἀκούετε τῆς γνώσεως*] auditis cognitionem. Argumentis recitatis oratores saepissime demptis coniunctionibus dissolute summam eorum colligunt. Plurima exempla congessit Frohb. ad Lys. 12, 48. Pari modo usurpatur *ὁρᾶθ' ὅτι* (*ὡς*), ut Dem. 18, 158; 20, 28; 23, 89. 162, *ὁρᾶτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ ψήφισμα* 19, 48, *ὁρᾶτε καὶ συνίετε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὴν πονηρίαν καὶ τὴν ἀπιστίαν.* His similibusque formulis *ἀκούετε* et *ὁρᾶτε* non imperandi modum, sed indicativum esse cum ex iis locis, ubi unum hominem orator alloquitur, ut Dem. 18, 121 vel 290 — Bekk. hic male interpunxit, cf. Voem. ad Dem. 18, 40 — intellegi potest, tum quod recitatis documentis ea quae audierunt commonefiunt, non nova aut recitanda audire iubentur, denique saepius pro praesenti tempore perfectum *ἀκηκόατε* et *ἑωράκατε*, nonnunquam etiam aoristus (velut Dem. 20, 64; 45, 9. Aesch. 2, 62) eadem sententia legitur; vid. Frohb. l. l.

ἣν ἔγνω] exemplum figurae quae dicitur etymologicae (v. Straub p. 137 sq.) in rebus iudicialibus maxime usitatae, cuius in hac oratione plura exempla reperiuntur, ut §. 21: *τὴν νομὴν ἣν ἐνείματο,* §. 25: *τίν' αἰτίαν αἰτιασάμενος* cf. §. 16, §. 33: *ἀναιδεστάτους λόγους λέγειν*, §. 40: *τὰς λειτουργίας ἃς λελειτούργηκεν*, §. 53: *ὅσα πράγματα πράττων.* Huc non pertinet quod voluit Rehd. ind. p. 231 *δίκην τοσούτων ταλάντων λαχὼν τολμᾷ δικάζεσθαι.* Quae verba redeunt ad. §. 3.

III. Probatio vel confirmatio. §. 18—27. *Τὰ μὲν οὖν πεπραγμένα καὶ γεγενημένα*] in propositione (§. 3) leguntur eadem fere verba: *ἐξ ἀρχῆς οὖν ἅπαντα τὰ πραχθέντα*

τούτῳ πρὸς Πασίωνα καὶ Ἀπολλόδωρον. Hoc loco, ut rerum narrationi maior vis ac pondus accedat, duo verba idem fere declarantia coniunguntur. Ut enim inter *πεπραγμένα* et *γεγενημένα* idem interest, quod inter *πράττειν* et *ποιεῖν* (de quo v. Rehd. ind. II, *πράττειν*), et illo verbo significantur ea, quae ab ipso Phormione acta sunt cum Apollodoro, hoc quae aut auctore illo aut nulla eius opera facta sunt (cf. Pseudolys 2, 48: *διὰ ζῆλον τῶν γεγενημένων καὶ φθόνον τῶν πεπραγμένων*), ita duobus verbis oratores saepius promiscue utuntur, ut Lys. 3, 3 coll. §. 21. Id. 4, 16: *ἅπαντα τὰ πραχθέντα ἡμῖν γεγένηται*, Dem. 37, 3 coll. §. 17, Isocr. 17, 3 coll. §. 24.

οἶμαι δ' Ἀπολλόδωρον τουτονὶ οὐδὲν ἔχοντα δίκαιον εἰπεῖν —] cf. Dem. 57, 34: *τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ συκοφάντης αἰτιάσασθαι μὲν πάντα, ἐξελέγξαι δὲ μηδέν*. — Hic habes exemplum praesumptionis (*προλήψεως*) vel anteoccupationis (*προκαταλήψεως*), qua id, quod videt orator opponi, ante occupat (Quint. 9, 2, Cic. 16, de orat. 3, 53, 205). Sunt autem tria eiusmodi genera, ut ait Hermogenes *περὶ μεθ. δεινότ.* 23: *ὁ κατηγορῶν τὰς τοῦ μέλλοντος ἀποκρίνεσθαι οὐχ ἁπλῶς προτείνει προτάσεις, ἀλλὰ κατὰ τρόπους τρεῖς, ἐπιστήμην, δόξαν, ἀκοήν*. Quorum altero hic orator usus est idque infertur verbis *οἶμαι* vel — rarius — *ἡγοῦμαι*. Cf. Dem. 54, 13. Pseudodem. 56, 19; 58, 48, *οἶμαι τοίνυν* Dem. 20, 120; 22, 42; 23, 92; 24, 190; 45, 51. Refutationem ipsam, quae §. 19 sequitur, infert particula conclusiva *δή*; cf. Dem. 19, 89: *πρὸς δὴ ταῦτα ἐκεῖνο ὑμᾶς ὑπολαμβάνειν δεῖ*. 54, 43: *σκοπεῖτε δή*. Plura exempla apud Frohb. ad Lys. 13, 55.

παρὰ τῷ διαιτητῇ] cf. Dem. 21, 193: *ἅπερ τότ' ἐτόλμα λέγειν ὅτ' ἦν ἡ προβολή, ταῦτα καὶ νῦν ἐρεῖ*. 27, 49: *ἐτόλμα τοίνυν πρὸς τῷ διαιτητῇ λέγειν*. 39, 22: *ἐτόλμα τοίνυν πρὸς τῷ διαιτητῇ πρᾶγμα ἀναιδέστατον λέγειν*. Infra §. 33: *ἀναιδεστάτους λόγους ἐτόλμα λέγειν πρὸς τῷ διαιτητῇ*. Pseudodem. 49, 21: *ὡμολόγει πρὸς τῷ διαιτητῇ*, ibid. 34. Lys. 10, 6: *ἅπερ ἐτόλμα λέγειν καὶ πρὸς τῷ διαιτητῇ*, ubi v. Frohb. de arbitri publici munere. Nam haec apud arbitrum publicum, qui fuit Tisias Acharnensis (Dem. 45, 8. 10. 24. 60. Pseudodem. 46, 5), acta esse, numerus singularis docet. Quamquam enim permagnus fuit illorum arbitrorum numerus — qui quantus fuerit v. Hudtwalcker, Ueber die öffentlichen und Privatschiedsrichter p. 3 sqq. —, tamen in singulis causis unus iudicabat; ipsi autem in magistra-

tuum numero habiti sunt. Cf. Harp. p. 81: *εἰσὶ δὲ οἱ διαιτηταὶ ἕτεροι τῶν δικαστῶν*. Schol. ad Dem. p. 593: *ἔθος ἦν παρ' Ἀθηναίοις τὰς δίκας γυμνάζεσθαι πρῶτον παρὰ διαιτηταῖς τισι καὶ πρὸ τοῦ εἰσελθεῖν εἰς τὸ δικαστήριον*. Maxime autem arbitri publici a privatis eo differebant, quod in horum sententia partes litigantes acquiescere oportuit (Pseudodem. 40, 11), ab illorum sententia (*ἀπόφασις* Poll. II 129) rem ad tribunal deferre licebat. Cf. Dem. 29, 48. Pseudodem. 40, 31. 55. Harp. *εἰ μὲν ἤρεσκε τοῖς ἀντιδίκοις, τέλος εἶχεν ἡ δίκη· εἰ δὲ μή, τὰ ἐγκλήματα καὶ τὰς προκλήσεις καὶ τὰς μαρτυρίας, ἔτι δὲ καὶ τοὺς νόμους καὶ τὰς ἄλλας πίστεις ἑκατέρων ἐμβαλόντες εἰς καδίσκους καὶ σημηνάμενοι παρεδίδοσαν τοῖς εἰσαγωγεῦσι τῶν δικῶν.*

τὰ γράμματα] tabulas privatas, quibus quanta Pasionis esset fortuna conscriptum erat (*γράμματα ἐξ ὧν ἤμελλεν εἴσεσθαι τὴν καταλειφθεῖσαν οὐσίαν* §. 19), non expensorum et acceptorum codicem, ut opinati sunt Meier et Sehoem. p. 502, 76; cf. ed. Lips. p. 686 adn. 565. Is enim Phormioni, cum mensam conduceret, traditus erat nec potuit nisi cum magno eius detrimento aboleri; sed eodem nomine interdum designatur, ut Pseudodem. 49, 59: *ἐν τοῖς γράμμασι τοῖς τραπεζιτικοῖς — τὰ γράμματα τὰ ἀπὸ τῆς τραπέζης*. 52, 19.

ἠφάνικε] idem Demosthenes suis tutoribus crimini dat, quod testamentum aboleverint, or. 28, 10: *καὶ τὴν μὲν διαθήκην ἠφανίκατε, ἐξ ἧς ἦν εἰδέναι περὶ πάντων τὴν ἀλήθειαν.*

ἀκριβῶς] adverbium maiore cum vi in fine positum, ut §. 49. Rehd. ind. I p. 182.

§. 19. *περὶ δὴ τούτων καὶ ταύτης τῆς αἰτίας*] *περί* hic et infra §. 43 absolute dictum est: quod attinet ad; cf. West. ad Dem. 18, 10, Rehd. ind. II, *περί*, Frohb. ad Lys. 13, 65. Simul orator eo amplificationis genere usus est, quo, ut distinctior et gravior sententia videretur, totum cum partibus compositum est. De quo v. Rehd. ind. I p. 169 et Dissen ad Dem. 18, 1. Cum h. l. cf. Dem. 19, 335; 21, 20. 96; h. or. §. 55: *τοῦ τρόπου τοῦ Φορμίωνός ἐστι σημεῖα καὶ τῆς τούτου δικαιοσύνης καὶ φιλανθρωπίας*. Contra §. 44: *τῆς σῆς ἀπληστίας καὶ τοῦ σοῦ τρόπου*.

πρῶτον μὲν γάρ] hac transeundi formula oratores, ut ait Frohb. ad Lys. 12, 92, p. 299, utuntur, ubi res ipsas quomodo se habeant exponunt nec suum ipsi iudicium pronuntiant neque audientes ut animos attendant hortantur. Sic Isae. 1, 31; 2, 19.

Lys. 16, 13; 19, 19; 13, 50. Pseudolys. 8, 8; 20, 23. Dem. 28, 3. Pseudodem. 39, 7. Andoc. 3, 21. His tribus locis extremis primum argumentum ipsum quoque interrogandi forma infertur, qua frequentissime orator utitur — in hac oratione plus viginti exempla leguntur, v. Sigg p. 420 sq. —, cum res sit certissima. Neque enim hic sciscitandi causa interrogatio adhibetur, sed est genus acrius et vehementius affirmandi, cum is, qui dicit, rogando quasi intelligentiam et sensum communem imploret eique rem, quam profert, aestimandam permittit (Straub p. 94).

§. 20. *ἐκομίζετο τὸν λόγον τῆς ἐπιτροπῆς*] reposcebat tutelae gestae rationem, ut solebant ii, qui ad pubertatem erant provecti et digni habebantur, qui rem familiarem ipsi administrarent. *κομίζεσθαι* medium est accipere quod ius est vel recuperare, ut Dem. 19, 149: *τὰ ἑαυτῶν κομίσασθαι.* 4, 7: *τὰ ὑμέτερ' αὐτῶν κομιεῖσθε.* Plura apud Rehd. ind. II, *κομίζεσθαι.* — De verbis *λόγον τῆς ἐπιτροπῆς* v. Frohb. ad Lys. 32, 25.

εἰ δι' αὐτοῦ —] hic est verborum ordo: *εἰ ὤκνει δι' αὑτοῦ τὴν μητέρα αἰτιᾶσθαι διεφθαρκέναι τὰ γράμματα.*

τούτῳ ταῦτ' ἐδήλωσεν] isti Pasicli id indicasset, ad quem ipsum quoque *διὰ τούτου* redit.

ὅπως — ἠλέγχθη] *ὅπως* particula iuncta cum optativo vel coniunctivo solum finem indicat: cum indicativo subicit condicionem, quid fieret aut factum esset, quod nunc ob defectum illius condicionis non fit aut non factum est (H. Schaef. ad Dem. 4, 27). Eadem constructione utuntur *ἵνα* et *ὡς*, de quo v. Schoem. ad Isae. 11, 6 et Frohb. ad Lys. 1, 40. Krueg. §. 54, 8, 8. Rarissimum *ὅπως* cum hoc indicativo qui dicitur irreali iungitur, ut Aesch. Prom. 750, Choeph. 196, Soph. Electr. 1134, Arist. Pax 136, Eccles. 151. Cf. ad §. 47; Aken Grundz. d. Lehre v. Temp. u. Mod. §. 156.

τὰς δίκας ἐλάγχανες;] cf. §. 53: *δίκας ἰδίας διώκων οὐκ ἐλάττους ταυτησί.*

γράφων εἰς τὰ ἐγκλήματα] cf. Dem. 29, 31: *ἔστιν οὖν τοῦ μὲν ἐγκλήματος ἀρχή· τάδ' ἐγκαλεῖ Δημοσθένης Ἀφόβῳ.* Est autem *ἔγκλημα* libellus accusatorius ab actore iudici exhibitus, qui accusationis capita continet. Cf. Dem. 38, 10. 14. 15. Pseudodem. 32, 2. 27; 34, 16; 25, 56. 58; 40, 16. Iidem libelli *λήξεων* nomine appellantur, ut h. or. §. 21; 24, 83; 45, 50. Pseudodem. 58, 32. De quorum vocabulorum differentia v. Meier et Schoem. p. 595 sq.

ὃ κατέλιπεν —] sic constr.: *ὃ ὀφείλοντ' αὐτὸν ὁ πατὴρ κατέλιπεν ἐν τοῖς γράμμασιν.* Eadem fere verba v. Dem. 27, 49.

§. 21. *ἀλλὰ μὴν ὅτι* (*ὡς*)] hac transeundi formula unos Isaeum et Demosthenem usos esse monet Frohb. ad Lys. 12, 46, ubi cum h. l. confert h. or. §. 32: *ἀλλὰ μὴν ὅτι ταῦτ' ἀληθῆ λέγω.* 19, 161. 165. 146; 37, 31; 45, 55. Adde h. or. §. 48.

οὐκοῦν] *οὐκοῦν,* cum argumentis recitatis enumeratio subicitur, raro legitur. Vid. Frohb. ad Lys. 12, 48. — Pasionem eorum qui in nominibus erant tabulas reliquisse, idem Apollodorus contendit Pseudodem. 49, 42.

οὐ γὰρ δὴ συκοφαντεῖν γε — φήσειεν ἄν] non enim certe calumniari sese fateatur. Particulis *οὐ γὰρ δή* infertur contrarium, quod orator ex sua mente plerumque cum irrisione quadam ponit, ut adversarii argumenta confutet. In quo per voculam *γάρ* occupari eiusmodi sententia solet: Quid his quae dixi opponi poterit? Cf. Dem. 19, 120; 24, 120; 6, 12. Pseudodem. 58, 27; 33, 24; 17, 28; 58, 22. Isocr. 4, 92; 17, 54; 10, 38; 15, 24. 34; 17, 53. Dinarch. 2, 3. Aesch. 1, 94; 2, 139, 166; 3, 212. Lys. 12, 38. Eadem vis ac ratio est formulae *οὐ γὰρ δήπου* Pseudodem. 53, 1: *οὐ γὰρ δήπου συκοφαντεῖν γε βουλόμενος ἀπέγραψα ἄν.* Id. 49, 52; 61, 42. Dem. 21, 121; 55, 18; 57, 25. Cum his duabus formulis cf. *οὐ γὰρ ἐκεῖνό γε* §. 28. Cf. Gebauer, De hypotact. et parat. argum. ex contr. form. p. XVII sqq.

§. 22. *νομίζω τοίνυν*] verba existimandi saepissime leguntur, ubi oratio ad rem novam ac graviorem transit; v. Frohb. ad Lys. 25, 18. Cf. Dem. 19, 273: *νομίζω τοίνυν ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐ καθ' ἕν τι μόνον.* — Ad argumentationis vim augendam atque cumulandam orator hic illa gradationis formula usus est, quae ab Aristid. 9, 361 vocatur *περιβολή*, de qua v. Rehd. ind. p. 177 sq. et Gebauer l. l. p. 329. Huic loco simillimi sunt Dem. 23, 53: *πολλῶν νόμων ὄντων, παρ' οὓς εἴρηται τὸ ψήφισμα, παρ' οὐδένα μᾶλλον ἢ παρὰ τοῦτον τὸν ἀνεγνωσμένον νῦν εἴρηται.* Ibid. 82; 24, 34; 37, 3. Lycurg. 41: *πολλῶν δὲ καὶ δεινῶν κατὰ τὴν πόλιν γιγνομένων — μάλιστ' ἄν τις ἤλγησε καὶ ἐδάκρυσεν ἐπὶ ταῖς τῆς πόλεως συμφοραῖς.* Hoc quoque loco exspectari potest, ut legatur *πολλῶν καὶ μεγάλων ὄντων,* velut Antiph. 2, 1, 6; Dem. 18, 285. Sed *μεγάλων* praeponi debuit propter sequens *μέγιστον* item praepositum (Dind.). Cf. Dem. 19, 188: *οὕτω τοίνυν αἰσχρὰ καὶ πολλὰ καὶ*

πάντα καθ' ὑμῶν πεπρεσβευκώς. 21, 36: *πολλοὺς ἑτέρους δεινὰ καὶ πολλὰ πεπονθότας*. Herodotus saepius coniungit *μέγας καὶ πολλός*, ut 7, 14; 4, 108: *ἔθνος ἐὸν μέγα καὶ πολλόν*. 4, 109: *λίμνη μεγάλη τε καὶ πολλή* (cf. Baehr. et Creuzer. ad h. l.), sed alia atque h. l. notione.

οὐκ ἀδικοῦντα Φορμίωνα τουτονί] hic Reiskius adnotat: ʻ*τουτονὶ* scil. Apollodorum. Idem est ac si dixisset: *ὅτι Φορμίων οὐδὲν ἀδικεῖ Ἀπολλόδωρον τουτονί*ʼ. Male. Nam *ἀδικεῖν* hic absolute usurpatur, ut §. 2, et *τουτονί* iungendum est cum *Φορμίωνα*. Quo pronomine nomini proprio postposito nihil frequentius; cf. *Φορμίωνα τουτονί* §§. 15. 47, *Ἀπολλόδωρον τουτονί* §§. 18. 57, *Ἀπολλόδωρος οὑτοσί* §§. 26. 28, *Ἀπολλοδώρου τουτουί* h. §. Neque tamen desunt, ubi ante collocatum sit, ut §. 14: *τουτονὶ Φορμίωνα*. Plura dedit Rehd. ad Lycurg. §. 25 (p. 134).

καίτοι οὐ δήπου] negatio in principio enuntiati posita aequabiliter ad utrumque membrum pertinet, ut Dem. 18, 13: *οὐ γὰρ δήπου Κτησιφῶντα μὲν δύναται διώκειν δι' ἐμέ, ἐμὲ δ' εἴπερ ἐξελέγξειν ἐνόμιζεν, αὐτὸν οὐκ ἂν ἐγράψατο*, ubi v. West. — 27, 55; 29, 47. Antiph. 5, 63. Andoc. 4, 36. Lys. 12, 47. Lycurg. 65, ubi plura exempla congessit Rehd. Cf. Gebauer p. 131—133; Naegelsb. Stil. p. 526 ed. VII. Haec autem est loci sententia: Neque vero credibile est illum puero, cuius facultates in sua manu haberet tutor a patre institutus, non intulisse iniuriam, tibi autem, qui aetate corroborata relictus esses et, si qua tibi facta fuisset iniuria, facile ulcisci posses, intulisse. Ex priore membro verbum *ἂν ἠδίκει* in posteriore audiendum est. De *ἄν* ad utrumque membrum referendo v. Frohb. ad Lys. 12, 47 (p. 244). Verbum autem *ἠδίκει* cum utriusque membri commune sit, prioris membri locum ultimum obtinet (Gebauer p. 338 sq.). Ceterum *ἂν ἠδίκει* hic non irreale, sed potentiale est, quamquam non desunt exempla, quibus post *οὐ δήπου* nullo sententiae discrimine bis praeteritum tempus sine particula *ἄν* positum est; cf. Gebauer p. 208. Iam observabis, quam egregie singula inter se respondeant: *τὸν παῖδα καταλειφθέντα* — *ἀνὴρ κατελείφθης*, *οὐ τῶν ὄντων κύριος ἦν* — *ὑπὲρ σαυτοῦ ῥαδίως ἂν τὰ δίκαια ἐλάμβανες*. Neque tamen oratores Attici adeo convenientia partium delectati sunt, ut participia et pronomina relativa utriusque membri inter se respondeant, sed haud raro, ut Gebaueri p. 368 verbis utar, eos videmus vel sententiarum diversitate coactos vel

impulsos variandi studio paululum inflexisse orationem atque commutavisse. — Hoc autem argumentum illustrius atque evidentius fit contrario paratactico, quo repugnantia rerum, quae abhorrent ab intelligentia communi, multo magis augetur quam hypotactico. In quo rei caput id est, quod per voculam *δέ* effertur, alterum autem per *μέν* nonnisi oppositionis causa praemittitur (Buttm. Mid. n. 440). Nos Germani hypotactice loqui solemus: „Es ist doch wohl nicht anzunehmen, dass er, während er dem Knaben, der den Vater überlebte und über dessen Vermögen er als Vormund verfügte, kein Unrecht angethan hat, gegen dich ungerecht gehandelt hat". Quod in contrariis paratacticis locum secundariae sententiae, quam nos per particulam „während" inferre solemus, plerumque prior pars obtineat, eius rei causam Gebauer p. 104 arbitratur in eo potissimum sitam esse, quod vocula *μέν* proprie asseverantis sit atque affirmantis. De parataxi v. Rehd. ind. I, Parataxis.

τῶν ὄντων κύριος ἦν, ἐπίτροπος καταλελειμμένος] cf. §. 3: *ὅσων κύριος τῶν τούτου κατελείφθη.* Hoc loco *κύριος* ad facultates, *ἐπίτροπος* ad personam pupilli pertinere bene iudicavit Schoem. ad Isae. 1, 10. Cf. Dem. 28, 16: *κύριος τῶν ἐμῶν γενόμενος.* Ibid. 6: *τούτων ὧν ἐσημήναντο γραμμάτων καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων χρημάτων ἐγίγνοντο κύριοι.* Sed quod vir ille doctissimus l. l. *ἐπίτροπον τῶν αὑτοῦ* sc. *χρημάτων* non recte dici contendit, errasse mihi videtur; cf. h. or. §. 51: *τοῦτον, οὐ σὲ τῶν μισθώσεων κατέλιπεν ἐπίτροπον.* Dem. 27, 55: *τῶν φανερῶν* (sc. *χρημάτων*) *μέλλοντα ἐπιτρόπους καταστήσειν — τῶν δ' οὐκ ἂν κυρίους ἐποίησεν.*

ἐλάμβανες εὐθύς] adverbii in fine positi vis augetur; v. ad §. 18. Hic enim est intellegendum: Pasicli contra exspectandum fuit, dum sui iuris fieret.

ὁ Πασικλῆς οὐδὲν ἐγκαλεῖ] huc ea, quae Apollodorus 45, 83 dicit, spectare videntur.

§. 23. *ἃ τοίνυν*] iam oratio ad alterum argumentum traducitur, quo denegandam esse actionem probatur. Quare *τοίνυν* non est *συλλογιστικόν*, sed *μεταβατικόν.* Cf. Frohb. ad Lys. 1, 45, Weber ad Dem. 23, 76.

μὴ εἰσαγώγιμον εἶναι τὴν δίκην] formula communis omnium causarum, quas per leges non licebat ad iudicium deferre. Cf. Dem. 37, 1. 17. 35; 38, 1. 3; 45, 5. 40. 76. 81. Pseudodem. 32, 1. 2. 24; 33, 3; 35, 45 sq. Si quis Athenis

aliquem iudicio arcessere volebat, nomen illius ad magistratus, penes quos iudicii principatus erat, deferre solebat, ut causam cognoscerent et iudicio heliastarum traderent. Quam ob rem magistratus *εἰσαγωγεῖς* dicebantur, quia *εἰσάγουσι τὰς δίκας* scil. *εἰς δικαστήριον*, ut Dem. 37, 33 sq.; 21, 3. Pseudodem. 35, 47. 51; 43, 75; 44, 59; 47, 24. 26; 48, 31. Bekk. Anecd. 246: *εἰσαγωγεῖς ἦσαν δικαστηρίου οἱ ἄρχοντες, οἳ εἰσῆγον αὐτοῖς τὰς δίκας*. In primis illorum fuit cognoscere, num actio ea esset, ut per leges liceret eam iudicio committere (*ἐξετάζουσι δὲ καὶ εἰ ὅλως εἰσάγειν χρή* Harp.). Quod quominus liceret multa poterant obstare, de quibus v. Meier et Schoem. p. 631 sqq.

γεγενημένου μὲν διαλογισμοῦ καὶ ἀφέσεως τῆς τραπέζης — γεγενημένης δὲ διαίτης καὶ πάλιν πάντων ἀφέσεως] *διαλογισμός* est computatio „Abrechnung", cum duo, quibus sunt res communes, rationes conferunt ac disputant, quid alter alteri debeat. Saepius ea significatione verbum *διαλογίζεσθαι* reperitur, ut h. or. §. 60: *ἀφῆκεν αὐτὸν διαλογισάμενος τῶν ἐγκλημάτων ἁπάντων.* Pseudodem. 25, 25; 30, 30; 52, 3. — Verba quae sequuntur sic construenda sunt: *ἀφέσεως τῆς μισθώσεως τῆς τραπέζης καὶ τοῦ ἀσπιδοπηγείου.* De re ipsa v. §. 10 sq., de *ἀφέσεως* vocabulo cf. Pseudodem. 33, 3: *πάντων ἀπαλλαγῆς καὶ ἀφέσεως γενομένης.* Dem. 38, 14; 45, 41. — *γενομένης δὲ διαίτης καὶ πάλιν πάντων ἀφέσεως* v. §. 15 sq. — Denique hic observabis anaphoram, qua figura Demosthenem constat frequentissime usum esse. Efficitur autem eo, quod eadem pars orationis saepius per singulos ambitus aut per singula membra — repetitur (Aquil. Rom. c. 34). Apud Cornif. (ad Her. 4, 13, 19) et Cic. (de or. 3, 54, 206) dicitur repetitio. De cuius usu ille sic iudicat: 'Haec exornatio cum multum venustatis habet tum gravitatis et acrimoniae plurimum; quare videtur esse adhibenda et ad ornandam et ad exaugendam orationem'. Plura v. Rehd. ind. I, Anaphora, et Straub p. 110 sqq.

§. 24. *συκοφαντοῦντος τούτου*] haec verba insequentibus explicantur: *παρὰ τοὺς νόμους δικαζομένου*, quibuscum cf. Dem. 37, 1: *παρὰ τὸν νόμον μοι δικάζεται.* Pseudodem. 33, 3.

τῶν παρόντων] i. q. *οἳ παρῆσαν* (Dem. 37, 17). *τῶν παρόντων* est participium imperfecti (Krueg. §. 53, 2, 9), ut Pseudodem. 52, 16. Isae. 5, 20; 8, 14. Lys. 10, 1; 32, 18; 16, 5, ubi v. Frohb.

§. 25. *ἀκούετε τοῦ νόμου λέγοντος*] sic etiam Dem. 37, 19; 38, 5. 18. Plura vid. ad §. 17 et Rehd. ad Lycurg. §. 115. — Haec lex cum cetera indicat, quorum actio non datur, tum eorum, quae quis remisit aut transegit, quippe qui de iure contra alterum agendi decesserit. Huius legis alibi quoque fit mentio, ut Pseudodem. 33, 3. Dem. 38, 5; 37, 19; 37, 1 = 38, 1. Formula solemnis ac legitima de omnibus criminibus ac postulationibus remissis, cum quis sibi ab altero satisfactum esse profitetur, fuisse videtur *ὅσα τις ἀφῆκεν ἢ* (vel *καὶ*) *ἀπήλλαξεν*. De verborum istorum vi ac differentia sic exposuit Harp.: *τὸ μὲν ἀφείς, ὅταν ἀπολύσῃ τίς τινα τῶν ἐγκλημάτων ὧν ἐνεκάλει αὐτῷ· τὸ δὲ ἀπαλλάξας, ὅταν πείσῃ τὸν ἐγκαλοῦντα ἀποστῆναι καὶ μηκέτι ἐγκαλεῖν* — de quo cf. Dem. 37, 20: *ἃ δ' αὐτὸς ἐπείσθη καὶ ἀφῆκεν* —. *ἔστι δὲ καὶ οὕτως εἰπεῖν, ὅτι ἀφίησι μέν τις αὐτῶν μόνων ὧν ἄν τις ἐγκαλῇ, ἀπαλλάττει δέ, ὅταν μηδὲ ἄλλον τινὰ λόγον ὑπολίπηται ἑαυτῷ πρὸς τὸν ἐγκαλούμενον.* Platner, Process bei den Attikern I p. 146: „Der Unterschied zwischen *ἀφιέναι* und *ἀπαλλάττειν* ist der, dass jenes als ein Entlassen von der bestehenden Verbindlichkeit mehr eine einseitige Handlung, dieses dagegen als eine Willensvereinigung der Parteien mehr eine zweiseitige Handlung, einen erlassenden Vergleich bedeutet".

ὧν μὴ εἶναι δίκας] Reiskius et hic et infra, ubi eadem verba recurrunt, ante *δίκας* contra codicum auctoritatem *δεῖ* addidit. Quod opus non esse docuit H. Schaefer ad Dem. 20, 158. Etenim haud raro in oratione quae dicitur obliqua post pronomina relativa infinitivus reperitur, ubi nos indicativum desideramus. Krueg. §. 55, 3, 20. Idque et post indicativum et post participium, quod legis partem indicat, fieri solet. Cf. Dem. 20, 158: *ἔθηκεν ἐφ' οἷς ἐξεῖναι ἀποκτιννύναι*, ubi v. West. Id. 23, 26. 74. 53 (et 60): *τοῦ νόμου σαφῶς οὑτωσὶ καὶ λέγοντος, ἐφ' οἷς ἐξεῖναι κτεῖναι.* 38, 5. Etiam 37, 35: *ὁ νόμος διείρηκεν ὧν εἶναι δίκας προσήκει μεταλλικάς* verbum *προσήκει* delendum esse puto. Cf. Hyperid. p. Eux. 36, 23 ibique Cobet.

εἰκότως] neque id mirum est. Hoc adverbium in fine membri *ἐπικριτικῶς* quod aiunt poni solet et particulis *γάρ, καὶ γάρ, ἐπεί* aliis enuntiatum causale ei subicitur. Quo adverbio Antiphon et Andocides nusquam usi sunt, Lysias 26, 17; 25, 27 (*καὶ εἰκότως*), frequentissime Lycurgus (§§. 47. 79. 88. 94. 102. 108. 126. 128. 133), rarius Isocrates (1, 48; 8, 29. 112; 15, 136.

291. 295) Aeschines (3, 10. 64), Demosthenes h. or. §. 29; 1, 10; 4, 24; 18, 204. 288; 19, 52; 20, 31; 21, 43. 63. 117; 22, 63; 23, 209; 24, 24. 210; 57, 4. Pseudodem. 17, 13; 25, 97; 34, 51; 44, 3. 53. 67; 59, 41; 61, 30. Vid. Rehd. ad Lycurg. 47, Class. ad Thuc. 1, 77. Similis usus est adverbii *δικαίως*, de quo v. ad §. 51.

πολὺ τῶν ἀφεθέντων δικαιότερον] sic *πολύ* saepius a voce, ad quam pertinet, seiungi propter emphasin, cum fortiorem seiuncta vox consequatur accentum (Dissen ad Dem. 18, 276), constat; Krueg. §. 49, 7, 7; Kuehn. Gr. II p. 1102. Cf. Dem. 18, 305: *πολλῷ τοῖς λόγοις ἐλάττοσι χρῶμαι.* 27, 2: *πολὺ τούτων καταδεέστερος.* 29, 1. 3; 30, 1: *πολὺ τοῦτον ἐκείνου δυσκολώτερον.*

ἐν ὑμῖν ἡττηθείς] qui apud vos i. e. suffragiis vestris victus est. Cf. *ἐν ὑμῖν* Dem. 27, 1; 28, 22; 29, 3. 21; 40, 21. 55.

τάχ᾽ ἂν εἴποι τοῦτο ὡς ἐξηπατήθητε ὑμεῖς] de sententia loci cf. Dem. 37, 20: *καὶ περὶ ὧν ἔγνω τὸ δικαστήριον ἔστιν εἰπεῖν ὡς ἐξαπατηθὲν τοῦτ᾽ ἐποίησε.* Haud raro enim oratores iudicibus crimini dant, quod ab adversario decepti iudicaverint, ut Dem. 29, 1: *θαυμαστῶς ἂν ὡς εὐλαβοίμην, μὴ καὶ νῦν οὐ δυνηθῶ δεῖξαι, πῇ παρακρούεταί ποθ᾽ ἕκαστα ὑμᾶς αὐτῶν.* Pseudodem. 32, 12: *ὑπὸ τούτου παρακρουσθέντων ὑμῶν.* 40, 21: *ψευδόμενος δὲ καὶ παραγωγὰς λέγων ἤδη τις δίκην οὐκ ἔδωκεν.* 43, 39: *τηλικοῦτον πρᾶγμα παρακρουόμενοι τοὺς δικαστάς.* 47, 48. Aesch. 3, 168.

ὁ δ᾽ αὑτοῦ φανερῶς καταγνούς] qui contra se ipse manifesto cognovit. Cf. Dem. 19, 212: *κατεγνωκόθ᾽ ἑαυτοῦ τοῦτον, ὥστε μηδενὶ νῦν ὑμῖν εὐσεβῶς ἔχειν ἀποψηφίσασθαι αὐτοῦ.* 39, 38: *ὃς οὖν αὐτὸς αὑτοῦ κατέγνω δικαίως εἶναι Βοιωτός.* Pseudodem. 61, 5.

τίν᾽ ἂν ἑαυτὸν αἰτίαν αἰτιασάμενος] quam de semet ipso causationem causatus. De fig. etym. v. ad §. 17; de constructione cf. Pseudodem. 7, 1: *αἱ αἰτίαι, ἃς Φίλιππος αἰτιᾶται τοὺς — λέγοντας.* Isocr. 17, 21: *τῆς αἰτίας ἧς κἀκεῖνον Πασίων ᾐτιάσατο.* At Antiph. 6, 27: *οὐκ ἀληθὴς ἦν ἡ αἰτία, ἣν αἰτιῶνται κατ᾽ ἐμοῦ.* Haec verbi constructio, qua cum accusativo tam rei quam personae coniungitur, unde orta sit, cognosci licet ex eiusmodi exemplis, quibus res pronomine gen. neutr. declaratur, ut Dem. 18, 76: *οὐδὲν αἰτιᾶται ἐμὲ ὑπὲρ τοῦ πολέ-*

μου. Aristoph. Thesm. 473: *τί ταῦτ' ἔχουσαι 'κεῖνον αἰτιώμεθα;* Krueg. §. 46, 11, 2.

ὁ τὸν νόμον θείς] i. e. Solon, cuius altera lex postea (§. 27) recitatur. Cf. 23, 25: *ὁ θεὶς τὸν νόμον.* Ibid. 37. 62. 86; 24, 51; 22, 30: *ἄξιον τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ τὸν θέντα τὸν νόμον ἐξετάσαι Σόλωνα καὶ θεάσασθαι,* sed hic *Σόλωνα* mihi delendum videtur, quod nomen iis omnibus quos laudavi locis deest. *ὁ τὸν νόμον τιθείς* Dem. 19, 7. 239; 22, 11; 23, 27 (bis). 29; 58, 11. Solonis nomen additum est Dem. 22, 25: *ὅτι τοὺς νόμους ὁ τιθεὶς τούτους Σόλων καὶ τῶν ἄλλων τοὺς πολλούς, οὐδὲν ὅμοιος ὢν τούτῳ νομοθέτης* — et 18, 6: *οἱ νόμοι κελεύουσιν, οὓς ὁ τιθεὶς ἐξ ἀρχῆς Σόλων, εὔνους ὢν ὑμῖν καὶ δημοτικός,* ubi v. Voemel. Porro v. Frohb. ad Lys. 1, 33.

τῷδε] Apollodorum designat.

καὶ γὰρ ἀφῆκε] nam et remisit. Cf. Franke ad Dem. 2, 15 et Rehd. ind. II p. 244.

§. 26. *λαβὲ δή μοι καί*] iam mihi cape. Hac transeundi formula oratores utuntur, ubi altero argumento recitato alterum recitari iubent. Sic *λαβὲ δή μοι καί* Dem. 21, 107; 54, 24; 57, 39. Pseudodem. 33, 27; 34, 16; 48, 34: *λαβὲ δέ μοι* (lege *δή μοι*). — *λαβὲ δὴ καί* Dem. 37, 35; 54, 10; 57, 22. 23. 32. Pseudodem. 34, 7. — *λαβὲ δή μοι* Dem. 41, 10. Pseudodem. 34, 42. — *λαβὲ δή* Dem. 27, 42. Cf. *λέγε δή μοι καί* Dem. 37, 17. — *λέγε δὴ καί* 18. 155. 166. 217; 19, 162; 21, 94. Pseudodem. 35, 14; 58, 9. 21. 35. — *λέγε δή μοι* Dem. 37, 32. 54. Pseudodem. 32, 23. — *λέγε δή* Dem. 18, 39; 19, 86; 20, 128; 23, 44. 86. 178. Pseudodem. 58, 15. — *ἀνάγνωθι δὴ καί* h. or. 56. Pseudodem. 25, 62. — *ἀνάγνωθι δὲ καί* Dem. 24, 104; 30, 18. — *ἀναγίγνωσκε δὴ καί* Pseudodem. 48, 11. 34. — *ἀνάγνωθι δέ μοι* (*λαβών*) Dem. 21, 52; 24, 32; 39, 36. Pseudodem. 43, 66; 56, 36. Sed ubique *ἀνάγνωθι δή μοι* scribendum esse puto, quia codices vel variant vel parum certi in istis particulis videntur. *κάλει δὴ καί* Dem. 21, 95. — *κάλει δή μοι* 57, 23.

τὸν τῆς προθεσμίας νόμον] i. q. *τὸν περὶ τῆς προθεσμίας νόμον.* Cf. h. or. 56: *τὰς τῆς πονηρίας* sc. *μαρτυρίας.* 21, 35: *ἣν ὁ τῆς βλάβης ὑμῖν νόμος πάλαι, ἣν ὁ τῆς αἰκίας, ἣν ὁ τῆς ὕβρεως.* Ibid. 46: *τὸν τῆς ὕβρεως νόμον,* at 43: *οἱ περὶ τῆς βλάβης οὗτοι νόμοι.* Ibid. 94: *τὸν τῶν διαιτητῶν νόμον,* at 107: *τὸν περὶ τῶν δώρων νόμον.* 20, 27: *τὸν περὶ*

τῶν τριηραρχιῶν νόμον. 22, 21: *τοῦ τῆς ἑταιρήσεως νόμου.* 37, 45: *τοὺς νόμους τοὺς τῶν ἐπικλήρων.* 54, 24: *τοὺς νόμους τῆς ὕβρεως καὶ τὸν περὶ τῶν λωποδυτῶν,* ubi v. West. Pseudodem. 40, 19: *τὸν περὶ τῆς προικὸς νόμον.* Isae. 8, 34: *τὸν τῆς κακώσεως νόμον,* ubi v. Schoem. Ibid. 32: *τοῦ περὶ τῆς κακώσεως νόμου.* Krueg. §. 47, 7, 6. — *ἡ προθεσμία* scil. *ἡμέρα* est dies praestituta, qua nisi suscepta erat actio plane obsolevit, i. q. praescriptio „Verjährung". Illa igitur lege cautum erat, ut, quarum rerum actiones intra quinquennium non essent institutae, eae vetustate praescriberentur atque infirmarentur. Quam legem ut omnibus in causis locum habuisse haud veri simile est — certe iniuriarum, quae ad ius sacrum pertinebant, praescriptio erat nulla, cf. Frohb. ad Lys. 13, 83 —, ita contra tres actiones licebat illa uti (vid. Schellingi dissert., quae est de Solonis legibus apud oratores Atticos p. 36 sq.). Primum enim, si quinquennio ab actione nata elapso actio de rebus creditis (*ἀφορμῆς δίκη*) intendebatur, quod ex hoc loco apparet; deinde si eodem temporis ab tutela reddita circumacto de tutela male gesta (*δίκη ἐπιτροπῆς*) agebatur; cf. Dem. 38, 17. 27. Lys. 32, 16 ibique Frohb. — Tertia praescriptionis lex pertinet ad hereditatis petitionem, cum herede mortuo intra quinque annos petere licebat ab iis, ad quos illius bona pervenerant; cf. Isae. 3, 58. Plura v. Meier et Schoem. p. 636, Herm. Antiq. ed. Thalheim p. 106, 4; 115, 1.

σαφῶς οὑτωσί] sic, ut auditis, aperte i. e. claris verbis, non tecte aut per ambages (Franke ad Dem. 3, 11). De adv. *οὕτως* adiectivo vel adverbio suo postposito v. Rehd. ind II p. 263 sq. Sed quod ille constanter sic posita esse verba *σαφῶς οὑτωσί* contendit, excipias velim Dem. 41, 25. Postponitur enim *οὕτω*, ut adnotavit Dissen ad Dem. 18, 126, ubi maior vis in adiectivo, et praeponitur, ubi adiectivi maior vis est.

τὸν χρόνον] scil. *ἐν ᾧ δεῖ δικάζεσθαι,* quo ius petere licet (R.)

ὀμωμοκότες δικάζετε] iurati sententias pronuntiatis. Haud facile oratores omittunt commonere iudices de iureiurando ab illis dato, unde ipsi *οἱ ὀμωμοκότες* appellabantur. Cf. Dem. 18, 2; 20, 93; 24, 58. 78; 29, 53; 39, 38 et alibi.

§. 27. *τοῦ μὴ συκοφαντεῖσθαι ὑμᾶς*] ne falsa criminatione deciperemini. Plerumque *συκοφαντεῖσθαι* passivum est falso accusari, velut Dem. 29, 55; 37, 8. Pseudodem. 25, 83;

33, 2. — Verborum, quae sequuntur, sententia haec est: Quibus vere facta esset iniuria, iis quinquennium satis longum esse Solon existimavit ad pecuniam exigendam. Qui autem illatam sibi iniuriam esse ementirentur et fraudandi causa pecuniam peterent, eos quinquennii spatio apertissime convinci improbitatis ac mendacii posse. Nam si revera passi essent iniuriam, apparet eos tot interiectis annis non tacituros, sed questuros et in ius vocaturos fuisse adversarios. — *τὸν χρόνον* scil. *τὸν πενταετῆ*. De sententia cf. Lys. 19, 61: *οὔκουν ἄξιον τοῖς τῶν κατηγόρων λόγοις πιστεῦσαι μᾶλλον ἢ τοῖς ἔργοις, ἃ ἐπράχθη ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ, καὶ τῷ χρόνῳ, ὃν ὑμεῖς σαφέστατον ἔλεγχον τοῦ ἀληθοῦς νομίσατε*, ubi Frohb. inter alios locos laudat Hyper. pr. Lycophr. XII, 10 (Blass): *ὁ παρεληλυθὼς χρόνος μάρτυς ἐστὶν ἑκάστῳ τοῦ τρόπου ἀκριβέστατος*. — Similiter Lys. 1, 32 quid sibi velit lex exponitur.

τοὺς συμβάλλοντας] eos, qui aliis pecuniam in faenus credunt. Cf. Dem. 37, 54. Pseudodem. 34, 1. Plat. Rep. IV 425 C.

τοῖς ἐρήμοις] iis, qui testibus carerent. Solon igitur, quia fieri non posse vidit, ut et ii, qui negotia inter se contraherent, et testes perpetuo viverent, praescriptionis legem, qua circumacto quinquennii spatio iniuriarum actiones plane negarentur, loco eorum posuit, ut iis, qui testibus carerent et omni praesidio nudi essent, testis aequitatis esset eosque absolveret.

IV. Refutatio. §. 28—56. — *θαυμάζω τοίνυν ἔγωγε*] saepius in hac transeundi forma *ἔγωγε* addi solet, ut Dem. 4, 43; 20, 167. Pseudodem. 26, 22; 49, 53; 51, 11; 59, 118. Lys. 13, 49.

τί ποτ' ἐστὶν ἅ] de singulari et multitudinis numeris coniunctis cf. Dem. 54, 13: *οἴομαι δ' ὑμῶν ἐνίους θαυμάζειν, τί ποτ' ἐστὶν ἃ πρὸς ταῦτα τολμήσει Κόνων λέγειν*. 21, 154: *τί ποτ' ἐστὶν ἃ λειτουργεῖ*. 37, 36; 19, 288; 4, 10: *τί χρὴ τὰ γιγνόμενα ἡγεῖσθαι*; ubi Franke adnotat: Non quaerit, quaenam eae res sint, quae fiant (*τίνα χρὴ τὰ γ. ἡγ.*), sed quaenam earum rerum quae fiunt vis atque natura sit. Plura apud Rehd. ad Dem. 9, 39. Krueg. §. 61, 8, 2.

οὐ γὰρ ἐκεῖνό γ' ὑπείληφεν] de particulis cf. Dem. 20, 2: *οὐ γὰρ ἐκεῖνό γ' ἔνεστιν εἰπεῖν, ὡς*. 8, 44: *οὐ γὰρ οὕτω γ' εὐήθης ἐστὶν οὐδείς, ὃς ὑπολαμβάνει*. Pseudodem. 10, 71: *οὐ γὰρ ἐκεῖνό γ' ἂν εἴποις, ὡς*. 32, 21: *οὔπω γὰρ τοῦτό γε*

οὐδεὶς ἡμῶν τῶν κοινωνῶν ὑπέλαβεν, ὡς. — Perfecti *ὑπείληφεν* forma efficacior est quam praesentis; cf. Dem. 20, 35: *οὐ γὰρ δήπου τοῦτό γ' ὑπείληφεν οὐδείς, ὡς.* Eadem vis est perfecti *λέληθεν.* Kuehn. §. 431, 1, 2.

εἰς χρήματα] coniunge cum *ἠδικημένον*: nihil iniuriae eum passum esse de pecunia, quod attinet ad pecuniam. Cf. h. or. 59: *τοῦ λυσιτελοῦντος εἰς χρήματα.* 22, 75: *εἰς χρήματα ἀναιδής.* 37, 58: *πολλὰ συμβέβηκεν ἠδικῆσθαί τισιν ἤδη μείζω τῶν εἰς χρήματα γιγνομένων ἀδικημάτων.* 24, 7. Lys. 19, 60: *τῷ τοίνυν πατρὶ τῷ ἐμῷ ἄλλα μὲν ἄν τις ἔχοι ἐπικαλέσαι ἴσως, εἰς χρήματα δὲ οὐδεὶς οὐδὲ τῶν ἐχθρῶν ἐτόλμησε πώποτε,* ubi v. Frohb. Pseudodem. 10, 45: *εἰς τὸν ἑαυτῶν βίον ἀσφαλῶς ἔχειν.* 60, 13.

παρὰ τῶν κυρίων ἀπαλλαγείς] nam servus non poterat contubernalem suam, in quam ipsi ius nullum erat, sed hero, alii nuptum collocare (R.).

ὥσπερ ὁ τούτου πατήρ] verba rectius ad ea, quae antecedunt, referuntur quam ad sequentia, id quod placuit H. Schaefero et Voemelio. Omnia enim reliqua huius rei exempla ista carent comparatione, quae quidem §. 30 efficitur. At cum verbis antecedentibus iuncta haud inutilia videntur aut supervacanea esse; nam iudices doceri vult nihilo nobiliorem illis aut magis ingenuum fuisse Apollodori patrem.

ἑαυτοῦ ποτε γενομένῳ] i. q. *τῷ ἑαυτοῦ οἰκέτῃ* (§. 29), *τῷ ἑαυτοῦ δουλεύσαντι* opp. *καθ' ἑαυτὸν ὄντι* §. 4. *γίγνεσθαί τινος* fieri (esse) alicuius, ut h. or. 46: *ὁ γὰρ αὖ σὸς πατὴρ ἐκείνων ἐγένετο ὥστε καὶ σὺ καὶ οὗτος ἐκείνου γίγνεσθε.* 2, 30; 4, 7; 7, 3 sq. Pseudodem. 12, 7; 25, 25. Krueg. §. 47, 6, 4.

§. 29. *τῷ νῦν ἔτ' ὄντι καὶ ζῶντι*] qui etiam nunc viget et superest. *εἶναι* i. q. *εἶναί τι* „bestehen", de quo v. Rehd. ind. II, *εἶναι.* Cf. Plat. Rep. 369 D: *ἡ τῆς τροφῆς παρασκευὴ τοῦ εἶναί τε καὶ ζῆν ἕνεκα.* Ordine inverso eadem verba iuncta leguntur Dem. 18, 72: *ζώντων καὶ ὄντων Ἀθηναίων,* ubi plura exposuit Voemel.

πολλοὺς ἂν ἔχοι τις εἰπεῖν τοιούτους] de hac praeteritionis formula apud oratores frequentissima v. Straub p. 102.

εἰκότως] v. ad §. 25.

§. 30. *ὑμῖν μὲν γάρ, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι*] in Demosthene, cum iudices fere semper *ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* appellare soleat, non mirum est, si oratio nonnunquam eiusmodi est,

tamquam apud universum Atheniensium populum contionetur; cf. infra *παρ' ὑμῶν* et §. 58: *πολὺ γὰρ χρησιμώτερα ὑμῖν παρὰ τῷδε ὄντα ὑπάρχει.* Frohb. ad Lys. 14, 10.

τοῖς γένει πολίταις] qui genere (natura) cives estis. Item Dem. 23, 24; 45, 78. *οἱ φύσει πολῖται* Pseudodem. 59, 28. Isocr. 4, 105. Civibus ingenuis opponuntur cives novi vel adscripticii (Cic. de nat. deor. 3, 15, 39): *οἱ ποιήσει πολῖται* Dem. 20, 30, ubi v. Wolf., *πολῖται γεγενημένοι* 23, 12, *πολῖται ποιητοί* 45, 78, *δημοποίητοι* Plut. Sol. 24. Hesych. interpretatur *οἱ κατὰ ψήφισμα δήμου γεγονότες πολῖται, ξένοι ὄντες.*

τοῖς δὲ τοῦτο μὲν δωρεὰν — λαβοῦσι] *τοῦτο* ad *γένους* redire videtur, sed intellegendum est *τὴν πολιτείαν*, civitatem. — *δωρεάν* paene adverbii vicem obtinet. Krueg. §. 56, 3, 5. Quod antiqui grammatici inter *δῶρον* et *δωρεάν* noverunt discrimen (*ἔστι δῶρα μὲν τὰ ἐπὶ δωροδοκίᾳ διδόμενα, δωρεὰ δ' ἐπὶ τιμῇ.* Schol. Arist. Av. 510 cf. Buttm. Mid. ind.), non ab omnibus scriptoribus servatur. Quamquam enim semper dici solebat *δώρων γραφή, ὁπότε τις αἰτίαν ἔχει τῶν πολιτευομένων δῶρα λαβεῖν* (Harp.), tamen *δωρεά* a Paus. 10, 34, ut adnotat Buttmannus, de corruptione dicitur. Sed a grammaticorum lege nec Lysias dissentit (v. Frohb. ad 30, 25) nec Demosthenes, si excipies Pseudodem. 25, 16: *πᾶς ἐστι νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν* et 59, 88: *οὕτω καλὸν καὶ σεμνὸν ἡγήσατ' εἶναι δῶρον τὸ Ἀθηναῖον γενέσθαι.* At Hyperid. pro Eux. col. 47 sq. *δωρεάς* et *δῶρα* nullo discrimine de corruptione dicit: *χρήματα λαμβάνοντα καὶ δωρεὰς παρὰ τῶν τἀναντία πραττόντων τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων. — παρ' ὧν τὰ δῶρα εἰληφότα — παρ' ὧν τὰς δωρεὰς εἰληφέναι αὐτόν.*

τῇ τύχῃ δ' ἐξ ἀρχῆς ἀπὸ τοῦ χρηματίσασθαι αὐτῶν τούτων ἀξιωθεῖσι ταῦτ' ἐστὶ φυλακτέα] *ἐξ ἀρχῆς* i. e. a principio „von Haus aus" (Frohb. ad Lys. 19, 58) ad totam sententiam pertinet, non cum *τῇ τύχῃ*, ut H. Schaef. iudicavit, cohaeret. *αὐτῶν τούτων* verba redeunt ad *χρημάτων*. *χρηματίσασθαι* est rem facere; cf. Plut. vit. Dem. et Cic. 3: *χρηματίσασθαι τοίνυν ἀπὸ τοῦ λόγου*, et *χρηματισμός* quaestus h. or. 44. Dem. 21, 167. Itaque loci sententia est: Vobis, qui genere cives estis, divitias, quantaecunque sunt, generi praeferre turpe est; iis autem, qui vel a vobis vel ab aliis quibusdam civitate donati sunt et fortunae beneficio a principio propter quaestum rem fecerunt et pecunias consecuti sunt, illae servandae atque

custodiendae sunt. Quare ne perdant ea, quae mercatura vel faeneratione quaesiverunt, si ipsorum filii imperiti sunt, mensam hominibus negotii bene gerentibus permittere et libertis uxorem suam in matrimonium dare non verentur. Ut enim propter facultates maiores, quibus vel omnem civitatem vel singulos cives adiuverunt, in civium numerum adsciti sunt, sic eos muneribus publicis reipublicae gratiam referre oportebat (Dem. 45, 78; h. or. 57).

διόπερ Πασίων] iam orator averso a iudicibus sermone Apollodorum adversarium appellans docet eius patrem, cum uxorem suam Phormioni desponderit, non sibi aut suis ignominiam imposuisse, sed optime consuluisse rebus suis. Neque esse, quod is aversetur vitricum, quippe qui Pasioni moribus et vita similior sit ipso filio. Matrimonium vero Pasionis concessu ac mandatu factum esse Apollodorum ipsum testem fuisse, quod fortunam a matre relictam cum Phormionis liberis ex illa susceptis aequabiliter dividi voluerit. Nam nisi ratum esset ac legitimum matrimonium, hereditatem non potuisse ad liberos pervenire. — Averso a iudice sermone, qui dicitur *ἀποστροφή* (Quint. 9, 2, 38), Demosthenes in reliquis causis privatis rarissime usus est (Sigg p. 420). Huius autem orationis refutatio, quae iudicum vel docendorum vel commovendorum causa instituitur, iterum ac saepius ab iis avertitur et invadit adversarium. Qua re optime praecavetur, ne haec pars ceteris longior languorem audientibus afferat, et ipsam orationis vim atque impetum valde augeri quis non intellegit?

αὐτὸν ὑβρίζων] v. ad §. 47.

ἀνάγκῃ] necessitudinis vinculo. Cf. Isocr. 1, 10: *ἡγεῖτο γὰρ εἶναι πρὸς ἑταιρίαν πολλῷ κρείττω προαίρεσιν ἀνάγκης*. Lys. 32, 5: *διὰ ταύτας τὰς ἀνάγκας* (propter has necessitudines).

ποιήσειεν οἰκεῖον] cf. Dem. 27, 5.

ἔδωκε τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα, μητέρα δ' ὑμετέραν τούτῳ] eadem diligentia alibi quoque oratores videmus uti in perhibendis necessitudinibus, quibus quis cum aliis coniunctus est, ut Pseudodem. 59, 2: *ἔδωκεν Ἀπολλοδώρῳ τῷ υἱεῖ τῷ ἐκείνου θυγατέρα μὲν αὐτοῦ, ἀδελφὴν δὲ ἐμήν*. Lys. 32, 5. 12.

§. 31. *πρὸς μὲν οὖν τὰ συμφέροντ' ἐὰν ἐξετάζῃς*] verba graviora in principio ita posita sunt, ut coniunctio *ἐάν* sequatur. Cf. h. or. 49: *εἰς μὲν γὰρ τὰ ὄντα εἰ βλέπεις ἀκριβῶς*. Rehd. ind. I, Stellung.

ἀναίνει Φορμίωνα κηδεστήν] aversaris Phormionem vitricum. *ἀναίνεσθαι κοινῶς μὲν τὸ ἀρνεῖσθαι, ἰδίως δὲ ἐπὶ τῶν κατὰ τοὺς γάμους καὶ τὰ ἀφροδίσια λέγεται* (Harp.). Cf. Eur. Electr. 311 sq. — *κηδεστής*, h. l. vitricus, designat quemvis affinitate propinquum (West. ad Dem. 20, 57), ut socerum Pseudodem. 59, 1. Lys. 19, 13, 17; 32, 5, Andoc. 4, 15, generum Isocr. 10, 42, levirum Dem. 23, 10; 30, 12. Lys. 13, 1. 40; 19, 16; 32, 1. Andoc. 1, 50. *κηδεσταί* affines Lys. 19, 12. 48; 29, 2.

εἰ γάρ τις ἔροιτό σε] cf. Dem. 24, 204; 39, 28. 30. Pseudodem. 43, 48. Isae. 2, 25.

ἐγὼ μὲν γὰρ εὖ οἶδ᾽ ὅτι τοῦτον] scil. *οἴει μᾶλλον ἐοικέναι Πασίωνι.*

εἶθ᾽ ὅς ἐστιν ὁμοιότερος] particulae *εἶτα* et *ἔπειτα*, si vim earum paulo latius explicare volumus, idem fere valent quod rebus ita comparatis (haec cum ita sint), tamen. Sive autem interrogative proferuntur, ut h. l., sive extra interrogationem usurpantur, ut §. 49, semper admirationem indicant cum indignatione coniunctam (Gebauer p. VII). Cf. Frohb. ad Lys. 12, 26. West. ad Dem. 1, 24. Rehd. ind. II, *εἶτα*. Krueg. §. 69, 24, 2. Cum h. l. conf. Dem. 8, 20; 19, 313; 23, 174; 45, 65. 8, quibus locis omnibus sententia relativa priorem in enthymemate locum obtinet, enuntiatum autem primarium a casu obliquo pronominis *οὗτος* incipit. Vid. Gebauer p. 2 et 4.

§. 32. *ἀλλὰ μὴν ὅτι γε*] at vero. His particulis oratio ad novam rem eamque graviorem traducitur. Cf. Dem. 37, 18: *ἀλλὰ μὴν ὅτι γ᾽ οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι.* 4, 43. Observabis hic verborum gravitatem, qua orator suppressis iis, quae mentem eius subeunt, protinus novum affert argumentum, ut Apollodori malitiam atque improbitatem notet.

τὰ μητρῷα πρὸς μέρος] i. e. *εἰς ἴσας μοίρας, κατ᾽ ἰσομοιρίαν* (H. Wolf). Archippae fortuna trium talentum et viginti minarum, cum in quattuor partes divideretur, ad singulos heredes quinque milia drachmum pervenerunt (§. 15).

ὄντων παίδων ἐκ τῆς γυναικός] cf. Dem. 45, 75: *οἱ παῖδες ἂν οἱ τούτου τῶν ἐμῶν θυγατέρων ἐδικάζοντο.* Ibid. §§. 81. 4.

κυρίως δόντος τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ] quod pater tuus legitime ei uxorem dedisset. Matrimonium inter ipsos cives Athenienses conciliatum non erat legitimum, nisi ante facta sponsalia (*ἐγγύησις*) erant, quibus nupta a patre vel ab alio

propinquo, cuius in potestate erat (*κύριος*), coram testibus marito futuro traderetur. Cf. Pseudodem. 46, 18; 40, 26. Liberi autem ex matrimonio non legitimo suscepti nothi (*νόθοι*) vocari solebant neque poterant hereditatem consequi, sed per leges licebat iis pecuniam certam quandam decisione facta dare (*χρήματα νοθεῖα*).

τῷ τὸ τέταρτον μέρος λαβεῖν] eo, quod quartam partem sumpsit. Demosthenem infinito verbo cum articulo saepius quam omnes reliquos oratores pro appellatione usum esse docet Sigg p. 429. De alliteratione h. l. fortuita v. Rehd. ind. I p. 155.

§. 33. *ἀναιδεστάτους λόγους ἐτόλμα λέγειν πρὸς τῷ διαιτητῇ*] cf. §. 18 et 39, 22: *ἐτόλμα τοίνυν πρὸς τῷ διαιτητῇ πρᾶγμ' ἀναιδέστατον λέγειν.* De fig. etym. cf. 9, 41; 18, 42. 313; 20, 24; 27, 25; 35, 44; 29, 68.

περὶ ὧν προακηκοέναι βέλτιόν ἐσθ' ὑμᾶς] cf. Dem. 24, 190: *πρὸς δὴ τοὺς τοιούτους λόγους βέλτιον προακηκοέναι μικρὰ πάντας ὑμᾶς.* De comparativo scil. *ἢ μὴ προακηκοέναι.* Sed huius comparativi vis adeo infirmata est, ut paene positivi gradus vicem obtineat. Cf. Weidner ad Aesch. 3, 71, Frohb. ad Lys. 13, 3 (p. 317). — Infinitivus perf. *ἀκηκοέναι* [vel aoristi *ἀκοῦσαι* Dem. 22, 3; 24, 159; *προακοῦσαι* Dem. 19, 80; 22, 35], qui eiusmodi comparativo coniungi solet, nobis Germanis idem valere videtur quod temporis praesentis (*ἀκούειν*), sed ita differt, ut hic actionem ipsam, ille ea, quae ex actione eveniunt, significet; est igitur *ἀκηκοέναι* i. q. novisse. Krueg. §. 53, 3, 3. Cum h. l. conf. Dem. 2, 4: *βέλτιόν ἐστιν ἀκηκοέναι πάντας ὑμᾶς.*

μὴ γενέσθαι διαθήκην] testamentum omnino non factum esse contendit Apollodorus 45, 5; 46, 12 sq.

τοῦτο πλάσμα καὶ σκευώρημα ὅλον] id nihil aliud esse nisi fictum et commenticium. Cf. Dem. 45, 29: *πλάσμα ὅλον ἐστὶν ἡ διαθήκη.* Sed cave ne *ὅλον* pro adiectivo accipias, quod adverbialiter dictum esse docet Rehd. ind. II, *ὅλος.* — *σκευώρημα* legitur Dem. 41, 24, *σκευωρεῖσθαι* saepius, ut 9, 17, Pseudodem. 17, 20; 32, 11. Dem. 45, 5: *μισθώσεώς τινος ἐσκευωρημένης καὶ διαθήκης οὐδὲ πώποτε γενομένης* (locatione conficta). Ibid. 47: *ἐσκευωρήσατο τὴν μίσθωσιν.* Pseudodem. 46, 7.

συγχωρεῖν — δικάζεσθαι] infinitivi imperf. Krueg. §. 53, 2, 9.

τὸν πρὸ τοῦ χρόνον] superiore tempore. Cf. ad §. 16. Dem. 20, 130: *πᾶς ὁ πρὸ τοῦ χρόνος*. 1, 27: *τὸν πρὸ τοῦ πόλεμον*. Thuc. 2, 58, 2: *ἐν τῷ πρὸ τοῦ χρόνῳ*. Id. 2, 73, 3; 3, 9, 1: *τῶν πρὸ τοῦ φίλων*. 1, 32, 3: *ἐν τῷ πρὸ τοῦ*. Dem. 20, 160: *τὰ πρὸ τοῦ*.

ἐπεὶ δ' οὐ ποιεῖ — δικάζομαι] cf. Dem. 45, 5: *ἐπειδὴ ποιεῖν τε οὐδὲν ᾤετο δεῖν ὧν τότε ὡμολόγησε — δίκην ἠναγκάσθην αὐτῷ λαχεῖν*. Notatu dignus est hic repentinus ab oratione obliqua in rectam transitus.

§. 34. *ὅτι δὲ ταῦτ' —*] ab his verbis ea, quae ex adverso coram arbitro dicta sunt, orator refellere incipit. De particulis *ὅτι δέ*, quibus hic transitus infertur, v. Frohb. ad Lys. 12, 46 (p. 239).

πρεσβεῖα] legatum praecipuum, quod pater filio natu maiori dedit. *πρεσβεῖά ἐστι γέρα τὰ τοῖς πρεσβυτέροις δεδομένα* (Poll.). Cf. 39, 29.

§. 35. *ὑπὸ τῶν τοῦδ' ὑποσχέσεων ὑπάγεσθαι*] huius pollicitationibus se deceptum esse. Cf. Dem. 5, 10: *τοιαύτας ἐλπίδας καὶ φενακισμούς, οἷς ὑπαχθέντες* (haec lectio vulgata mihi verior videtur quam *ἐπαχθέντες*, quod ex S editores praeter Rehd. omnes receperunt) *ὑμεῖς — προεῖσθε Φωκέας*. Franke illo loco adnotat: *ἐπάγεσθαι* est adduci ad aliquid (cf. 3, 31), *ὑπάγεσθαι* sensim vel inscium duci (9, 1. *εἰς δουλείαν* 8, 62 — at h. l. Rehd. et West. ex S *ἐπηγάγετο* praeferunt —. 15, 19). De ista verbi *ὑπάγεσθαι* notione cf. Dem. 23, 173: *εἰς τοῦθ' ὑπηγμένα τὰ πράγματ' ἤδη*. 19, 258: *εἰς τοσοῦτον ὑπῆκται καιρόν*. 54, 19: *κατὰ μικρὸν ὑπάγεσθαι ἐκ μὲν λοιδορίας εἰς πληγάς, ἐκ δὲ πληγῶν εἰς τραύματα, ἐκ δὲ τραυμάτων εἰς θάνατον*. 18, 188. Saepius verbo adiuncta est notio: blanditiis vel lenociniis perduci seu decipi, ut Dem. 6, 31: *οὕτω τελέως ὑπήχθητε*. 22, 32: *πολλὰ γὰρ ἂν τὸν δῆμον ὑπ' αὐτῶν ὑπαχθέντα ἐξαμαρτεῖν*. Denique non desunt loci, ubi, quam verbo *ἐπάγεσθαι* Franke vindicavit notionem, eadem verbo alteri *ὑπάγεσθαι* subsit. Cf. Dem. 21, 66: *ταῦτα γὰρ πάντα καὶ τὰ τοιαῦτα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, φιλονεικίᾳ μὲν ὑπαχθέντα* (adductum) *χορηγὸν ὄντα ποιεῖν ἔχει τινὰ συγγνώμην*. Pseudodem. prooem. 23, 1: *ὑπάγεσθε ἑκάστοτε πράττειν ἔνια, ἃ οὐδ' ἂν αὐτοὶ φήσαιτε καλῶς ἔχειν*. Cf. appellationem *ἐπαγωγὴ* Dem. 19, 322: *ταύταις ταῖς ἐλπίσιν καὶ ταῖς ἐπαγωγαῖς* (sic S et

vulg.; ὑπαγωγαῖς A r s), ubi v. Voemel. ἐπαγωγοὺς λόγους (blanda verba) Pseudodem. 59, 70.

μάρτυρας ὑμῖν παρεσχήμεθα] §. 13.

τούτοις] Apollodoro et Pasicli.

παραχρῆμ᾽ ἐχρῆν] concentus ultimarum syllabarum fortuitus.

§. 36. ἵνα τοίνυν εἰδῆτε] hac transeundi formula Demosthenes oratorum primus usus est etiam 19, 192; 18, 95; 45, 27. 40. (Frohb. ad Lys. 13, 38 p. 361).

ἐκ τῶν χρεῶν] ex iis, quae in nominibus erant, „Aktivaussenstände, Aktivschulden". Cf. Isae. 11, 42: χρέα δ᾽ ἐπὶ τόκοις ὀφειλόμενα. 8, 37: τά τ᾽ οὖν χρέα πάντα ὅσα ὠφείλετο αὐτῷ. Plat. Rep. VIII 555 D: ὀφείλοντες χρέα. Dem. 38, 7: ὅσα αὐτοῖς κατελείφθη χρέα. Ibid. 9. Pseudodem. 49, 42: ὁ πατὴρ κατέλιπε τὰ χρέα μόνον.

ὡς ἀπορῶν καὶ πάντ᾽ ἀπολωλεκώς] quasi in egestate vivat et omnia perdiderit. Krueg. §. 56, 12, 2.

ὁμοῦ τάλαντ᾽ εἴκοσιν] viginti fere talenta. Cf. Pseudodem. 25, 51: εἰσὶν ὁμοῦ δισμύριοι πάντες Ἀθηναῖοι. Plut. Cic. 16: καὶ δισμυρίων ὁμοῦ τι συνηθροισμένων; cf. Viger. ed. Herm. 1813 p. 427. 428.

§. 37. ὀκτὼ μὲν ἐτῶν ἃ] attractio infra observata hic neglecta est, quia sic melius sonant verba quam ἐτῶν ὧν. Cf. Dem. 27, 68: τῶν ὅρκων οὓς ὀμόσαντες δικάζετε. 45, 87. Pseudodem. 42, 17: τοῦ ὅρκου ὃν ὤμοσα. Isae. 4, 31. Lys. 14, 40. At Dem. 20, 3: πολλοῖς οἷς. Lys. 3, 21: τῶν ὅρκων ὧν διωμόσατο.

τάλαντον τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑκάστου] i. e. sexaginta minas. Phormio autem octoginta minas per singulos annos solverat. Itaque orator de locationis mercede, quam Xeno, Euphraeus, Euphro, Callistratus solverunt, pugnantia exponit. Cf. §. 12.

§. 38. ἐτῶν ἴσως εἴκοσι] summa solida pro duodeviginti annorum. Cf. §. 19. De ἴσως cf. 20, 21: ἑξήκοντα ἴσως ἢ μικρῷ πλείους σύμπαντες οὗτοι.

ἐὰν δὲ πάντα συνθῆτε] si omnia consummaveritis, cf. Dem. 27, 17: ἐάν τις συντιθῇ. Id. 29, 30.

ὅσα ἐνείματο, ὅσ᾽ εἰσεπράξατο, ὅσ᾽ εἴληφε μίσθωσιν] exemplum anaphorae, de qua v. Sigg p. 417 sq.

ὅσα ἐνείματο] 30^{m} × 18 = 540^{m} = 9 tal.
ὅσ' εἰσεπράξατο] 20 tal. : 2 = 10 „
ὅσ' εἴλ. μίσθ.] 10 tal. 40^{m} + 10 tal. = 20 „ 40^{m}
39 tal. 40^{m}.

τῶν μητρῴων] quinque milium drachmum. Cf. §. 15.

§. 39. ἀλλὰ νὴ Δία ταῦθ' ἡ πόλις εἴληφε καὶ — καταλελειτουργηκώς] qua hic orator utitur formula, a rhetoribus subiectio (ὑποφορά) dicitur; cf. Cornif. ad Her. 4, 23, 33. Plura dedit Rehd. ind. I, ὑποφορά, West. ad Dem. 23, 61. In qua frequentissime leguntur verba ἀλλὰ νὴ Δία, ut Dem. 8, 9; 16, 6; 19, 158; 20, 20. 58; 22, 69; 23, 61; 24, 99. 125. 176. 202; 31, 10. Pseudodem. 25, 42; 33, 25; 35, 48. Plerumque ipsa quoque refutatio (λύσις) infertur particula ἀλλά, ut hoc loco: ἀλλ' ἃ μὲν ἐκ κοινῶν ἐλειτούργεις τῶν χρημάτων —. καταλελειτουργηκώς i. e. qui multa publicis muneribus obeundis consumpsisti. Cf. Isae. fragm. 29 (Scheibe). Plura eius generis verba composita collegerunt Schoem. ad Isae. 5, 43 et Frohb. ad Lys. 14, 27.

ἐκ κοινῶν ἐλειτούργεις τῶν χρημάτων] de hac articuli collocatione v. ad §. 8, de praepositione ἐκ, pro qua saepius ἀπό legitur, h. or. §. 42, Dem. 21, 189. Isae. 5, 39: εἰς τὴν πόλιν λελειτούργηκεν ἀπὸ τοσούτων χρημάτων. Isocr. 15, 113. Lys. 19, 8; 31, 16.

ἄξια μὴ ὅτι δυοῖν ταλάντοιν προσόδου κ.τ.λ.] hoc loco Demosthenem more causidicorum liturgiae munera quae obierat Apollodorus nimium detractasse bene monuit A. Schaef. p. 168. Cf. Dem. 45, 78. Pseudodem. 50, 21.

§. 40. ἵνα δ' εἰδῆτε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τό τε πλῆθος τῶν χρημάτων] eadem transeundi formula est Dem. 24, 39; 54, 36; 20, 127; 18, 305; 45, 19; 55, 27. 34. Pseudodem. 46, 10. — De re cf. Dem. 45, 75 sq.: ἐπειδὴ δ' ἀπόρως ἡμεῖς ἔχομεν, τηνικαῦτ' οὐ συνεκδώσει ταύτας, ἀλλὰ λέγει καὶ λογίζεται τὸ πλῆθος ὧν ἐγὼ χρημάτων ἔχω. — ἃ δὲ τῶν πατρῴων ἐνειμάμην ἐγώ, ταῦτα λογίζεται.

τὰς λειτουργίας ἃς λελειτούργηκεν] cf. Dem. 18, 267; 20, 21; 28, 3. Isae. 6, 60. Lys. 3, 47.

τὸ βιβλίον τουτί] hac schedula (scida) consignata erant emolumenta omnia, quae Apollodorus aut e paterna hereditate acceperat aut per viginti annos propemodum in usu et fructu habuerat (R.)

§. 41. *τὰ μὲν παρ' ἑκόντων*] scil. *ἔχει*. Habes hic exemplum eius figurae, quae dicitur *ζεῦγμα* vel *ἐπεζευγμένον*, de qua v. Quint. 9, 3, 62.

τῆς μισθώσεως ἔξω] praepositio *ἔξω* ob numerum oratorium et hiatus evitandi causa appellationi postposita, ut Dem. 4, 34; 54, 4. Cf. Lys. 2, 50: *οἱ τῆς ἡλικίας ἐντὸς γεγονότες*.

τοσαῦτ' ἀνηλωκὼς ὅσ' ὑμεῖς ἠκούσατε] quamquam tantulum pecuniae impendit, quantum vos audivistis. *τοσαῦτα*, quod modo de pecunia maxima dictum erat, hic de perparva accipi debet. Ibi enim *τοσαῦτα χρήματα* sunt *πλέον ἢ τετταράκοντα τάλαντα* (§. 38), hic *οὐκ ἄξια μὴ ὅτι δυοῖν ταλάντοιν προσόδου ἀλλ' οὐδ' εἴκοσι μνῶν* vel *οὐδὲ πολλοστὸν μέρος τῶν προσόδων* i. e. ne multesimam quidem partem redituum. De vocis *πολλοστός* vi H. Schaef. ad Dem. 24, 196 haec exposuit: „*Πολλοστός* semper indicat multitudinem, ut semper sit *αὐξητικόν*, nunquam *μειωτικόν*. — *πολλοστὸν μέρος* pars rei multas in partes divisae, qualis pars cum tota re comparata non potest non esse exigua“. Cf. Krueg. §. 23, 7, 3. *πολλοστὸν μέρος* Lys. 14, 29; 19, 35. 39. 42. *οὐδὲ πολλοστὸν μέρος* Pseudodem. 43, 9. Lys. 14, 46, ubi Frohb. legit *οὐδὲ πολλοστόν τι μέρος*. Id. 19, 34; 25, 2. Isae. 1, 34.

ἀλαζονεύσεται] sese iactabit. *ἀλαζὼν γάρ ἐστιν ὁ ἐπὶ πλέον τὰ ἑαυτοῦ κομπάζων καὶ αὔξων*. Bekk. Anecd. 243, 20. Cf. Plat. Phaed. 92 C: *λόγοις σύνοιδα οὖσιν ἀλαζόσι — καὶ ἐξαπατῶσι*. Id. Rep. VIII 560 C: *ψευδεῖς δὴ καὶ ἀλαζόνες οἶμαι λόγοι*.

τριηραρχίας ἐρεῖ καὶ χορηγίας] trierarchias loquetur (i. e. in ore habebit) et choregias. Cf. Dem. 38, 25: *τάχα τοίνυν ἴσως καὶ τριηραρχίας ἐροῦσι καὶ τὰ ὄντα ὡς ἀνηλώκασιν* (sic Dind. et Voem. ex S A r; *ἀναλώκασιν* Bekk. et vulg. At v. Frohb. ad Lys. 32, 22 app.) *εἰς ὑμᾶς*. 21, 151: *τριηραρχίας ἐρεῖ καὶ λειτουργίας*. 20, 151: *οὗτος ἴσως ἐρεῖ τριηραρχίας αὑτοῦ καὶ λειτουργίας*, ubi F. A. Wolfius comparat Hor. Sat. 1, 3, 12: modo reges atque tetrarchas, omnia magna loquens. Adde Cic. ad Att. 9, 2: Postumus Curtius venit nil nisi classes loquens et exercitus. Id. ad Att. 9, 13 extr.: Dolabella suis litteris — merum bellum loquitur. Id. Mil. 23, 63: Multi etiam Catilinam atque illa portenta loquebantur, ubi v. Halm. — Eandem vim tenet verbum compositum *καταλαζονεύεσθαι*, ut Dem. 21, 169: *εἰ τοίνυν ὡς ἀληθῶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οἷά*

περ φήσει καὶ καταλαζονεύσεται πρὸς ὑμᾶς αὐτίκα δὴ μάλα, τοιαῦτ' ἦν αὐτῷ τὰ λελειτουργημένα καὶ πεπραγμένα. Isocr. 15, 5: τοῦ γὰρ ἀντιδίκου — καταλαζονευομένου περί τε τοῦ πλούτου καὶ τοῦ πλήθους τῶν μαθητῶν, ἔγνωσαν ἐμὴν εἶναι τὴν λειτουργίαν.

§. 42. τόνδε — τούτῳ — τὰ τούτου — τόνδε μέν — τοῦτον δέ] multum sane intelligentiae oratores antiqui nonnunquam exigunt ab audientibus, ut quis quoque loco pronomine significetur ipsi perspiciant. Cf. h. or. §§. 12. 20; 45, 86. Neque tamen illud praetermittendum est, gestum illorum oratorum et actionem multo agitatiorem et mobiliorem quam nostratium maximo illis fuisse usui. Quare non mirum, si in uno commate idem pronomen de duobus hominibus diversis ponitur. Cf. Rehd. ad Dem. 8, 53. Sed miror, quod H. Schaeferus hoc loco τόνδε Apollodorum vult intellegi. Sententiam loci bene perspexit Reiskius: Honestius est et aequius hunc Phormionem e suis bonis onera reipublicae sublevare quam eius bonis suffragio vestro Apollodoro condonatis hunc quidem, qui sobrius et pudens est, ad extremam inopiam redactum videre, illum autem (sc. Apollodorum) insolentem et bona solitis sibi modis prodigentem.

δόντας] scil. ὑμᾶς. — De μετέχειν verbi structura v. Krueg. §. 47, 15, 1. Recipit enim accusativum, quo pars, quam quis in re habeat, declaretur. Quare plenius dicitur μοῖραν vel μέρος τινὸς μετέχειν, ut Herod. 1, 204; 4, 145; 7, 16. Lys. 18, 2. 25; 31, 5.

ἐνδείαις] multitudinis numerum in nominibus quae dicuntur abstractis cum a Demosthene tum ab Isocrate frequentatum esse constat. Plurima ex Dem. exempla congessit Rehd. ind. II, Plural. De Isocrate cf. Blass II 125 et Bremi Isocr. oratt. I 210.

ὑβρίζοντα] insolenter se gerentem. ὑβρίζειν h. l. absolute dictum est, ut Pseudodem. 48, 55: ἐπειδὰν ὁρῶσι τὴν μὲν τούτου ἑταίραν περαιτέρω τοῦ καλῶς ἔχοντος καὶ χρυσία πολλὰ ἔχουσαν καὶ ἱμάτια καλὰ καὶ ἐξόδους λαμπρὰς ἐξιοῦσαν καὶ ὑβρίζουσαν ἐκ τῶν ἡμετέρων. Lys. 2, 14.

εἰς ἅπερ εἴωθεν ἀναλίσκοντα] nempe εἰς ἀσέλγειαν (§. 45: ζῇς ἀσελγῶς), quod vocabulum etiam Dem. 21, 1 et 54, 4 cum ὕβρις iunctum est. Orator hic significationis forma utitur, quae plus in suspicione relinquit quam positum est in oratione (Cornif. ad Her. 4, 53, 67). Cf. Soph. Oed. T. 1376: βλαστοῦσ' ὅπως ἔβλαστε, ubi v. Schneidewin. Dem. 23, 182: πόλεως

ἐχούσης ὡς ἔχει. Lys. 13, 53: *πεισθεὶς ὑφ' ὧν ἐπείσθης*, ubi v. Frohb. et Rehd. ind. II, *ἔχειν*.

§. 43. Iterum averso a iudicibus sermone orator pluribus verbis (§. 43—54) Apollodorum alloquitur, ut doceat nihil esse, quod Phormionem opes a patre Apollodori acceptas possidere arguat. Nam eadem de causa Antimachum Archestrati filium bona Pasionis, qui olim patris illius fuerit, sibi vindicaturum. Phormionem autem non humiliore loco natum esse et mensae negotiis tam utilem se praebuisse, ut merito ab illo locationum tutor destinatus et uxoris nuptiis honoratus sit. Apollodorum contra, cum et privatas lites intenderit et publice multos in ius vocaverit, hanc actionem tot interiectis annis instituisse, unde apparere ei iniuriam non esse factam.

ἀλλὰ μὴν περί γε τῆς εὐπορίας] iam vero de rei familiaris copiis. De hoc transitu cf. Dem. 18, 120; 19, 7. 279; 20, 123.

μόνῳ τῶν ὄντων ἀνθρώπων] hac formula veritatem superante oratores haud raro utuntur, velut *τῶν ὄντων ἀνθρώπων οὐδὲ εἷς* Dem. 22, 1, *μόνος τῶν ὄντων ἀνθρώπων* 21, 195, *μόνος τῶν πάντων ἀνθρώπων* 19, 269; 20, 141. Plura exempla congessit Rehd. ad Lycurg. 67 et Frohb. ad Lys. 14, 7.

ἐκτήσαθ' εὑρὼν οὐδὲ τοῦ πατρὸς αὐτῷ παραδόντος] cf. Dem. 45, 81: *οὔτε γάρ σοι πατὴρ παρέδωκεν οὔθ' εὗρες*.

παρὰ τοῖς αὐτοῦ κυρίοις] Pasio hic duorum fuisse dominorum dicitur, quod rebus rationibusque coniuncti erant. Cf. Lys. 13, 64: *ἐγένετο δ' ὁ Εὐμάρης οὗτος Νικοκλέους καὶ Ἀντικλέους,* ubi v. Frohb.

§. 44. *ἔστι δ' ἐν ἐμπορίῳ καὶ χρήμασιν ἐργαζομένοις ἀνθρώποις*] haec verba per ambitum idem ostendunt quod *ἔστι δὲ τραπεζιτεύουσι.* — *ἐργάζεσθαι ἐν ἐμπορίῳ* in mercatu agere (quaestum facere), ut Pseudodem. 42, 31: *τοῖς ἐν τοῖς ἔργοις ἐργαζομένοις,* 46, 17: *ἐν τῷ αὐτῷ ἡμῖν ἐργάζεσθαι,* 57, 31: *ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐργάζεσθαι.* — *χρήμασιν ἐργάζεσθαι* nummis in faenore collocandis quaestum facere, ut Pseudodem. 56, 30: *ἐργάσασθαι τῷ αὐτῷ ἀργυρίῳ.* 33, 4: *πειρῶμαι ναυτικοῖς* sc. *χρήμασιν* (cf. Lys. 32, 7) *ἐργάζεσθαι.* 59, 20; 45, 34: *τραπεζιτεύων ἐργάζεσθαι — ἃ δ' αὐτὸς εἰργασμένος ἔνδον κατέλειπε.* Haec igitur sententia est: Hominibus, qui in mercatu

et nummis in faenore collocandis quaestum faciunt, videri industrium et probum esse eundem res mirabilis atque insolens est. De sententiis apud Demosth. v. Straub p. 106 sq.

ἔφυ χρηστός] natura bonus fuit. Cf. Dem. 3, 19 ibique Rehd. Lys. 7, 35.

τίς ἂν δύναιτ' ἐφικέσθαι;] sc. *τῷ λόγω*: quis potest aequare (oratione assequi)? Cf. Dem. 14, 1: *ὧν οὐδ' ἂν εἷς ἀξίως ἐφικέσθαι τῷ λόγῳ δύναιτο.* 19, 65: *οὐδ' ἂν εἷς δύναιτ' ἐφικέσθαι τῷ λόγῳ.* Pseudodem. 61, 15: *εἰ μὲν οὖν οἷόν τ' ἦν ἐφικέσθαι τῷ λόγῳ τοῦ κάλλους τοῦ σοῦ.* Isocr. 4, 187: *νῦν δ' οὐκ ἐφικνοῦμαι τοῦ μεγέθους αὐτῶν.* 10, 13: *τὰ μὲν ῥᾴδιον τοῖς λόγοις ὑπερβαλέσθαι, τῶν δὲ χαλεπὸν τοῦ μεγέθους ἐφικέσθαι.* 9, 49: *τίς γὰρ ἂν ἐφίκοιτο τοιαύτης φύσεως;* Facta verbis consequi Cornif. ad Her. 3, 6, 11, facta dictis aequare Sall. Cat. 3, 2, Liv. 6, 20, 8, facta aequare dicendo Plin. epist. 8, 4, 3. Isocr. 14, 4; 4, 13; 6, 100.

§. 45. *καὶ δῆτα*] et certe. Krueg. §. 69, 20.

θαυμάζω πῶς] cf. Dem. 18, 159: *ὃν ὅπως ποτὲ οὐκ εὐθὺς ἰδόντες ἀπεστράφητε θαυμάζω.* Isocr. 3, 3.

πράττων οὐ κατ' ἀξίαν] non pro dignitate sua fortuna usus. Cf. Aesch. 3. 96: *κατ' ἀξίαν ἐτιμήθησαν.* Dem. 21, 127: *ὀρθῶς τὴν κατ' ἀξίαν τῶν πεπραγμένων παρὰ τούτου δίκην λαβεῖν.* Plura exempla collegit Rehd. ind. II, *ἀξία*.

εἰ σὺ μὲν χλανίδα φορεῖς καὶ — ζῇς ἀσελγῶς, αὐτὸς δ' ἐκεῖνος πολλῶν ἐνδεής ἐστιν] de hac Graecorum parataxi v. Rehd. ind. I 176 sq. Cf. Pseudodem. 34, 45. 43. Dem. 38, 18. — *χλανὶς δὲ ἱμάτιον λεπτόν.* Poll. 48. Erat igitur laena tenuior et mollior, qua et viri et feminae magis decoris causa quam propter frigus utebantur, iniecta super tunicam (*χιτῶνα*). Dem. 21, 133 *χλανίς* inter mollitiei et luxus documenta, quibus Midias in ipsa militia deditus erat, refertur; cf. Herm.-Bluemn. Antiq. p. 177, 3.

τὴν μὲν λέλυσαι, τὴν δ' ἐκδέδωκας ἑταίραν] aliam meretricem a lenone redemisti et tibi habes, aliam, qua iam abusus et satiatus es, alii nuptum elocasti addita honesta dote (R.). *ἐκδιδόναι* proprie dicitur filiam vel sororem ex sua potestate dimittere, ut Pseudodem. 40, 6. 7; 44, 9 sq. Quod quia sine dote fieri non poterat, inde vis dotem dandi profluxit, velut Aesch. 3, 258: *τὰς θυγατέρας Ἀριστείδου ἐξέδωκεν ὁ*

δῆμος. Lys. 16, 10: *δύο μὲν ἀδελφὰς ἐξέδωκα ἐπιδοὺς τριάκοντα μνᾶς ἑκατέρᾳ.* Pseudodem. 44, 17.

τρεῖς παῖδας ἀκολούθους περιάγει] tres pueros tecum circumducis pedissequos. *ἀκόλουθοι* sunt pedissequi vel servi, qui dominos in publicum prodeuntes sequi solent; quos alias *ὑπηρέτας* vocari docet Schoem. ad Isae. 5, 11 (p. 298). Cf. Pseudodem. 49, 22. Xen. Mem. 1, 7, 2. De hoc Graecorum more v. Becker, Charikles III², 19. 189, Herm.-Bluemn. Antiq. p. 85, 3.

§. 46. *οὐδὲ τὸν Φορμίων' ἐκεῖνος οὐχ ὁρᾷ*] nec Phormionem ille (Antimachus) non novit i. e. probe novit Phormionem. De *ὁρᾶν* cf. h. or. §. 50 et 23, 100: *ἤδη δέ τινα εἶδον.*

σοι προσήκειν τῶν τούτου] tibi partem bonorum huius (Phormionis) deberi. Cf. Dem. 57, 6: *οὐχὶ προσήκει μοι τῆς πόλεως.* Pseudolys. 6, 38. Lys. 5, 12.

σὺ δ' εἰς τοῦθ' ἥκεις ἀγνωμοσύνης] *ἀγνωμοσύνη* proprie dicitur inscitia, amentia; inde transit ad animi iniquitatem, ut Dem. 18, 252: *τὴν ἀγνωμοσύνην αὐτοῦ καὶ τὴν βασκανίαν.* Ibid. 207; 14, 5. Pseudodem. 60, 20. Epist. 2, 6. *ἀγνώμων* Dem. 18, 289; 21, 97; 54, 14. 16. Pseudodem. 10, 40. Epist. 2, 4; 3, 12. Vid. Buttm. Mid. ind. *ἀγνωμονεῖν* Dem. 18, 94. 248.

ἃ προσήκει σοι —] hic est ordo verborum: *ἃ τοὺς λέγοντας προσήκει σοι ἐχθροὺς νομίζειν, ταῦτα λέγειν αὐτὸς ποιεῖς ἀνάγκην εἶναι.* Dativum *σοι* ad *ἐχθρούς* referendum esse H. Schaefer perperam iudicavit. Qui dativus ut ibi non est necessarius, ita hic non facile eo carere possumus. Nam *προσήκειν*, quod est consentaneum esse, vel dativum vel accusativum cum inf. recipit; qua de re v. Rehd. ad Lycurg. 123 et Frohb. ad Lys. 25, 7.

§. 47. *ὑβρίζεις — προπηλακίζεις*] verba saepius coniuncta, ut Dem. 9, 60: *ὑβρίζετο καὶ προὐπηλακίζετο ὑπὸ τοῦ δήμου.* 23, 120: *ὧν ὕβρισε καὶ προὐπηλάκισεν.* 18, 12. — De verbi *ὑβρίζειν* structura Lucianus Soloec. 10 haec statuit: *τὸ μὲν σὲ ὑβρίζειν τὸ σῶμά ἐστι τὸ σὸν ἤτοι πληγαῖς ἢ δεσμοῖς ἢ καὶ ἄλλῳ τρόπῳ, τὸ δὲ εἰς σέ, ὅταν εἴς τι τῶν σῶν γίγνηται ἡ ὕβρις.* Quod discrimen quam non congruat scriptorum usui, cum aliis locis plurimis tum hoc loco confirmatur. Cf. Frohb. ad Lys. 14, 26, Rehd. Dem. ind. II, *ὑβρίζειν.*

τῆς τούτων φιλανθρωπίας] horum i. e. Atheniensium, quorum personam gerunt iudices praesentes (R.), humanitate. De *φιλανθρωπία* v. Rehd. ind. II 292.

μετὰ ταῦτα] Ol. 104, 4. 361/360. Cf. Pseudodem. 46, 13.

κοσμεῖν καὶ περιστέλλειν] ornare et distinguere. Verba a mortuorum cultu translata sunt ad orationis ornatum. *κοσμεῖν* proprie dictum Soph. El. 1401: *εἰς τάφον λέβητα κοσμεῖ,* 1139: *λουτροῖς ἐκόσμησ' ἄθλιον βάρος*, Ant. 396: *τάφον κοσμοῦσα.* Eur. Troad. 1147, Pseudodem. 60, 13: *ἐτάχθην κοσμῆσαι τὸν τάφον,* translate Dem. 18, 287: *τὸν τὴν ἐκείνων ἀρετὴν κοσμήσοντα.* Plat. Lach. 197 C: *εὖ ὅδε ἑαυτὸν δή, ὡς οἴεται, κοσμεῖ τῷ λόγῳ.* Thuc. 1, 21, 1: *ποιηταὶ ὑμνήκασι περὶ αὐτῶν ἐπὶ τὸ μεῖζον κοσμοῦντες.* Item *περιστέλλειν* proprie dicitur Soph. Ai. 1170: *τάφον περιστέλλειν*; cf. Creuz. et Baehr. ad Herod. 2, 90; 6, 30. Dem. 24, 139.

ἵνα — ἐφαίνετο] de hac constructione v. ad §. 20. Cf. Dem. 4, 27; 22, 21; 23, 48; 24, 48; 28, 5; 29, 17; 45, 17; 55, 5 sq.; 57, 15. Pseudodem. 53, 24. Prooem. 23, 2; 28, 2; 29, 17; 35, 1. Lys. 1, 40. 42; 3, 21. 44; 7, 17. Isae. 11, 6, ubi v. Schoem.

ἄγεις εἰς μέσον] in medium profers, ut Dem. 45, 16. Cf. Pseudodem. 44, 27.

ἄγεις — ὀνειδίζεις] asyndeton quaternarium, sed bina verba ita coëunt, ut separari non possint. Quod dicendi genus et acrimoniam habet in se et vehementissimum est et ad brevitatem accommodatum (Cornif. ad Her. 4, 30, 41). Arist. rhet. 3, 12, 2: *ἔτι ἔχει ἴδιόν τι τὰ ἀσύνδετα· ἐν ἴσῳ γὰρ χρόνῳ πολλὰ δοκεῖ εἰρῆσθαι. Ὁ γὰρ σύνδεσμος ἓν ποιεῖ τὰ πολλά, ὥστε ἂν ἐξαιρεθῇ δῆλον ὅτι τοὐναντίον ἔσται τὸ ἓν πολλά· ἔχει οὖν αὔξησιν.* Cf. Dem. 39, 34: *ἂν δ' ἐπιβουλεύῃς δικάζῃ, φθονῇς βλασφημῇς.* 9, 73: *τοὺς δ' ἄλλους Ἕλληνας συγκαλεῖν συνάγειν, διδάσκειν νουθετεῖν.* 18, 12. 14. 246; 19, 208; 23, 185. Aesch. 3, 178. Lys. 12, 100. Straub p. 124 sq.

§. 48. *τί γὰρ ἂν ἄλλο τις εἴποι;*] hac interpositione verbi *μανίας* usus probatur et acerbitas loci augetur atque cumulatur. Cf. Dem. 9, 54: *ἀλλ' εἰς τοῦτ' ἀφῖχθε μωρίας ἢ παρανοίας ἤ — οὐκ ἔχω τί λέγω,* ubi v. Rehd.

ἀπηλλάγη] sc. *παρὰ τοῦ σοῦ πατρός.*

μηδὲν ὑπόλογον εἶναι] nullam eius rationem habendam esse. Cf. Lys. 28, 13: *οὐδὲ ἀδίκως τούτοις φημὶ ἂν εἶναι*

ὑπόλογον τὴν ἐκείνων φυγήν. Plat. Lach. 189 B: μηδὲν τὴν ἡμετέραν ἡλικίαν ὑπόλογον ποιούμενος, quod esse ὑπολογιζόμενος (Apol. 28 B et D, Crit. 48 D) explicavit Cron. Lys. 4, 18: ἐν ὑπολόγῳ ταύτας τὰς προκλήσεις ποιεῖσθαι. De huius vocabuli pro appellatione usurpati vi atque usu v. Frohb. ad Lys. 30, 15 et Pseudodem. 25, 66.

ἐξ ἴσου σοι γενέσθαι] aequari tecum. Cf. Pseudodem. 43, 18: ἐδόκει οὐκ εἶναι ἐξ ἴσου ἡ θεωρία ἅπασι τοῖς δικασταῖς. Plat. Rep. X 599 B: οὐ γὰρ ἐξ ἴσου ἥ τε τιμὴ καὶ ἡ ὠφέλεια. Soph. Oed. Tyr. 1019: καὶ πῶς ὁ φύσας ἐξ ἴσου τῷ μηδενί; Krueg. §. 43, 4, 5.

§. 49. εἶτα] extra interrogationem part. εἶτα ad indignationem significandam adhibetur, ubi ut pugnantia cum antegressis afferuntur quae dixit quis vel videtur dicturus esse (Gebauer p. IX). Cf. Dem. 18, 28. 15. 122. 227. 297. 314. 318; 19, 175; 24, 124; 45, 37. Post εἶτα et ἔπειτα saepissime οἴεσθε (οἴει, οἴεται) cum infinitivo legitur, ut Dem. 4, 43; 9, 13; 19, 331; 23, 174. De οἴεται δεῖν v. Rehd. ad Dem. 1, 6 et ind. II, οἴεσθαι.

τοῦτον] hoc pronomine participium cum articulo antecedens excipitur et concluditur; cf. Dem. 9, 17. 18; 18, 159; 6, 22; 8, 56; 54, 21. Krueg. §. 51, 7, 5.

ἑλὼν τηλικαύτην δίκην] iudicio vincens, ut ille tanta multa condemnetur. Cf. Dem. 21, 181: δίκην ᾑρηκώς. 18, 3: μὴ ἑλεῖν τὴν γραφήν. Andoc. 2, α, 5: πολλὰς μὲν καὶ μεγάλας γραφὰς διώξας οὐδεμίαν εἷλον. Hyperid. pro Eux. vol. XXXIX, 15: εἷλον ἐν τῷ δικαστηρίῳ (τοῦτον). Isae. 3, 4.

ἀδίκως ἐκβαλεῖν] per iniuriam eicere ex bonis. Cf. Isae. 2, 33: ἐμὲ δ' ἐκβάλλειν ὑβρίσαντες ἐκ τοῦ οἴκου. Id. 10, 24: ἐκ τῶν πατρῴων ἐκβάλλειν. Dem. 1, 13; 20, 162; 21, 144. 87. 115. 122: ἐπὶ τῷ μετ' ἐκείνου κἀμὲ προσεκβαλεῖν ἀδίκως. 55, 35: ἀλλ' ἐκβάλλουσιν ὅλως ἐκ τοῦ δήμου με ἐλαύνοντες καὶ συκοφαντοῦντες.

εἰς μὲν γὰρ τὰ ὄντ' εἰ βλέπεις] bona enim, si inspexeris accurate, non tua esse invenies, sed mensae creditorum. Qui damnato Phormione involabunt in eius bonorum possessionem, nihil ut sit remansurum, quod cedat petitori. Haec Seageri et H. Schaeferi interpretatio magis mihi placet et propter ea, quae sequuntur, probabilior est quam Reiskii.

ὃ μὴ γένοιτο] quod di prohibeant. Cf. Dem. 27, 67; 28, 21. Pseudodem. 25, 31. 32; 40, 56. Din. 1, 66. Lys. 19, 38; 31, 14, ubi v. Frohb.

§. 50. *τὸν Ἀριστόλοχον*] idem videtur esse, quem Apollodorus (Dem. 45, 63 sq.) dicit, donec rebus secundis floruerit, a Stephano omnibus officiis cultum, sed postquam rebus eversis perierit, non adiutum, verum contemptum esse.

νῦν πολλοί] scil. *ἔχουσιν ἐκεῖνον τὸν ἀγρόν*.

πολλοί· πολλοῖς] exemplum reduplicationis sive *ἀναδιπλώσεως*, in qua ea, quae in superiore membro postrema ponuntur, in posteriore prima repetuntur (Aquil. Rom. §. 32). Cf. Dem. 8, 24; 18, 13. 35. Eadem figura ab aliis *ἀναστροφή* vel *ἐπαναστροφή* vocatur; v. Rehd. ind. I 159.

τὸν Τιμόδημον] cf. §. 29.

διαλύειν] v. ad §. 3.

ἐξέστησαν ἁπάντων τῶν ὄντων] cesserunt omnibus bonis „machten Bankerott". Cf. Dem. 45, 64: *ἀπώλετο ἐκεῖνος* (sc. *Ἀριστόλοχος ὁ τραπεζίτης*) *καὶ τῶν ὄντων ἐξέστη*. Pseudodem. 33, 25: *δι' ἀπορίαν ἐξειστήκει τῶν ἑαυτοῦ*. Antiph. 2, *β*, 9: *τῆς οὐσίας ἐκστησόμενος*. Eodem sensu dicitur *ἀνασκευάζεται ἡ τράπεζα*, ut Pseudodem. 33, 9; 49, 68; cf. Herm.-Bluemn. Ant. p. 456, 5.

πρὸς ἅπαντ' ἐβουλεύσατο] ad omnes casus deliberavit et decrevit. Krueg. §. 52, 8, 8.

§. 51. *ὦ Ζεῦ καὶ θεοί*] haec figura, qua pars cum toto composita est (cf. Rehd. ind. I 169), saepissime in exclamationis formulis legitur, ut Dem. 18, 285; 23, 186; 20, 167; Pseudodem. 43, 68; *ὦ Ζεῦ καὶ πάντες θεοί* Dem. 19, 15. Conficit autem haec exclamatio doloris aut indignationis alicuius significationem (Cornif. ad Her. 4, 15, 22). Demosthenem in eiusmodi formulis frequentissimum esse docet Sigg p. 421.

ἀνδρὸς ὄντος σοῦ] cf. §. 22. Lys. 2, 69: *ἄνδρες γενόμενοι*.

δικαίως, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι] hoc adverbium ut *εἰκότως* (§. 25) *ἐπικριτικῶς* in fine positum et appellatione addita amplificatum auctumque est, ut Pseudodem. 47, 3. Appellatio est omissa Dem. 19, 277; 54, 25; 57, 56.

§. 52. *ταῖς ἀπ' ἐκείνης ἀραῖς γραφείσαις ὑπὸ τοῦ σοῦ πατρός*] Pasio igitur ei, qui testamenti tabulas commutaret aut corrumperet, diras imprecatus erat. Quae exsecrationes

utrum ipsis testamenti verbis adiectae an extra inscriptae fuerint, ex hoc loco intellegi non potest. Quamquam extremum mihi magis probatur. Itaque pro *ἀπ' ἐκείνης*, quae quid valeant verba difficile est ad intellegendum, scribendum esse *ἐπ' ἐκείνης* suspicor. Cf. Becker Charikles I 256.

ἐλαύνεις συκοφαντεῖς διώκεις] hunc locum laudat Tiber. *περὶ σχημ.* III, 74 Sp. ut exemplum *ἐπιμονῆς*; sed ante *ἐλαύνεις* addidit *ἄγεις*. De hoc asyndeto tripartito cf. Dem. 6, 18; 8, 36. 56. 76; 19, 23; 8, 66; 19, 62. 343; 20, 60. 142; 4, 36; 9, 40; 20, 10. 164; 39, 34.

ὦ βέλτιστε] cum irrisione dictum, ut Pseudodem. 42, 27. 29; 56, 40. Ironia enim est, cum orator per simulationem diversum quam dicit intellegi cupit. Fit autem aut cum laudamus eum, quem vituperare volumus, aut vituperamus, quem laudare volumus. Isidor. ap. Halm. 521. Qua de re copiosius exposuit Straub p. 73 sqq. Item cum irrisione dictum legitur Isae. 3, 70: *ὦ 'γαθέ*, saepius *καλός* et *χρηστός*. Cf. Straub p. 76 et Rehd. ind. II 293.

εἰ οἷόν τε σὲ τοῦτ' εἰπεῖν] orator hic reprehensione usus est, quam Graeci *ἀφορισμόν* vel *διορισμόν* vocant, cum corrigimus nosmet ipsos quasi reprehendentes (Cic. de or. 3, 54, 207; Or. 39, 135; Quint. 9, 2, 18). Copula *ἐστίν* deest, ut Dem. 21, 6; 15, 5 (*εἰ οἷόν τε τοῦτ' εἰπεῖν*); 16, 18; 54, 15 (*εἰ οἷόν τ' εἰπεῖν*). Lys. 1, 1: *εἴ πως οἷόν τε.*

οὐ παύσει] scil. *ἐλαύνων συκοφαντῶν διώκων*. Cf. 39, 34: *παῦσαι δ' ἐμὲ συκοφαντῶν*. 54, 4: *ἐχλεύαζον ἡμᾶς καὶ οὐκ ἐπαύοντο* sc. *χλευάζοντες*.

σοὶ γοῦν] particula *γοῦν* Graeci utuntur, ut quam pronuntiarunt sententiam exemplo illustrissimo confirment. Vid. Classen ad Thuc. 1, 2, 5. Dem. 54, 25. Isae. 1, 10. Lycurg. 86, ubi v. Rehd.

§. 53. Antequam perorat orator, causas, de quibus absolvere Phormionem et condemnare Apollodorum sit iudicum, complectitur et quasi sub unum adspectum subicit.

μὰ τὸν Δία καὶ θεούς] cf. *νὴ τὸν Δία καὶ θεούς* Dem. 27, 10. Pseudodem. 25, 65. *νὴ* (*μὰ*) *τὸν Δία καὶ θεοὺς ἅπαντας* h. or. §. 61; 23, 188; Pseudodem. 25, 13. *μὰ τὸν Δία καὶ τοὺς ἄλλους θεούς* 9, 54.

διὰ τί ἂν σοὶ πεισθέντες] cf. Lys. 14, 41: *σκέψασθαι δὲ χρή, ὦ ἄνδρες δικασταί, διὰ τί ἄν τις τοιούτων ἀνδρῶν*

φείσαιτο. Id. 30, 26; 1, 25; 6, 46. Isae. 5, 45. Pseudodem. 25, 76.

τί γάρ; ὅτι πλησίον — συκοφαντεῖς νῦν] egregie orator adversarium interrogando et refutando ea, quae responderi possunt, disputationem ac sermonem imitatur. Cf. Dem. 1, 26; 8, 17, ubi v. Rehd. Tiber. III, 67 Sp.: *διαλεκτικόν ἐστιν, ὃ μάλιστα ποιεῖ Δημοσθένης, ὅταν μὴ ἁπλῶς διεξίῃ τὸν λόγον, ἀλλὰ πρὸς πεῦσιν καὶ ἀπόκρισιν συλλογίζηται ἃ βούλεται.* Haec ratiocinatio praeparatur verbis *τί γάρ.* De particula *ἀλλά,* qua et quaestio et responsum ab ipso oratore datum infertur, cf. West. ad Dem. 18, 24. Straub p. 96 sq.

πλησίον ὄντων τῶν ἀδικημάτων] cf. Pseudodem. prooem. 43, 1: *τοὺς δὲ πλησίον ὄντας τῶν ἁμαρτημάτων.* Idem valet *παρ' αὐτὰ τἀδικήματα* Dem. 37, 2. Cf. 20, 139; 18, 13, ubi v. West.

ἔτεσι καὶ χρόνοις ὕστερον] H. Schaef. laudat Paus. 10, 17, 3. Cf. Lys. 3, 39: *χρόνοις ὕστερον,* at Plut. Thes. 6: *χρόνοις πολλοῖς ὕστερον.* Eadem vis diuturnitatis est numero singulari *χρόνος,* ut Isae. 10, 21: *χρόνῳ (τι) ὕστερον,* 6, 27: *ὕστερον χρόνῳ.* Lys. 32, 5: *χρόνῳ δὲ ὕστερον.* Id. 1, 12: *διὰ χρόνου,* at *διὰ πολλοῦ χρόνου* Arist. Plut. 1045.

ἀπράγμων] alienus a litibus, otii amans. Cf. Pseudodem. 40, 32: *νὴ Δί' ἀπράγμων γάρ τις ἴσως ἐστὶν ἄνθρωπος καὶ οὐ φιλόδικος.* 42, 12: *καὶ μετρίου καὶ ἀπράγμονος εἶναι πολίτου μὴ εὐθὺς ἐπὶ κεφαλὴν εἰς τὸ δικαστήριον βαδίζειν.* Antiph. 2, *β*, 1. Dem. 21, 14: *καὶ γὰρ ἀσχολία καὶ ἀπραγμοσύνη,* opp. *πολυπράγμων* et *πολυπραγμοσύνη,* ut Lys. 24, 24, Dem. 39, 1.

πράγματα πράττων] cf. Dem. 18, 286; 22, 42; 23, 4; 45, 16. Causae, quae paulo post dicuntur, ad bellum Thracicum pertinent, quo Apollodorus trierarchi munere functus est. Copiosissime de iis exposuit A. Schaef. III addit. p. 158—161.

Timomachus Acharnanus (Aesch. 1, 56) Callistrati oratoris illius clarissimi affinis (Pseudodem. 50, 49), quo tempore Epaminondas tertiam incursionem fecit in Peloponnesum (Ol. 103, 2. 366), Atheniensium praetor fuit (Xen. Hist. Gr. 7, 1, 41), postea (Ol. 104, 4. 361) navibus, quae cum Menone in Hellesponto excubabant, praeesse coepit (Pseudodem. 50, 14 sqq.), nec melius rem gessisse videtur quam qui ante classem rexerant. Accusatus enim, quod Chersonesum Cotyi Thraciae regi prodi-

disset, et capitis damnatus (Dem. 19, 180 et Schol.) est. Oratio autem, qua eum Apollodorus accusavit, iam non exstat. Cuius accusationis quid causae fuerit colligi potest ex Pseudodem. 50, 17 sqq. Nam Apollodoro, cui trierarchiae tempus iam exierat, ad navium frumento onustarum praesidium ut ad Templum (ἐφ' Ἱερόν) navigaret, imperaverat non data classiariorum mercede, quare ille, ut suppleret numerum nautarum, Sesti a Charidemo et Nicippo faenore sumere pecuniam coactus est. Quo facto idem classi praefectus iussit illum Maronitarum naves remulco trahere nec quae ad victum opus erant praestitit (ibid. 23).

Callippi plures apud Dem. nominantur: Callippus Phaenippi pater (Pseudodem. 42, 21), alius frater eius, qui Olympiodorum accusavit (Pseudodem. 48, 20. 22); quorum neutrum esse eum, quem hic dicit orator, inter omnes constat viros doctos. Sed dissentiunt de tribus aliis, qui ipsi quoque in Dem. orationibus commemorantur. Exstat enim or. 52 ab Apollodoro in Callippum habita. Qui hospes publicus Heracleota in Pasionis mensa depositam a Lycone pecuniam, postquam ille mari periit, sibi vindicavit, sed ab Apollodoro accusatus est, qui vindicias eius iniustas esse et testimoniis et argumentis aliis demonstrabat. Sed hoc loco neque de illa oratione, cum orator aperte de causis publicis dicat, neque omnino de Callippo Heracleotarum hospite sermo est. Reliqui sunt Callippus Paeanieus, quem legum violatarum a se accusatum esse ait Hegesippus (Pseudodem. 7, 42), et Callippus Philonis filius Aexoneus, qui in Atheniensium classe, cui praeerat Timomachus, stipendia meruit (Pseudodem. 50, 47—52). Illum quidem Bekkerus iudicavit eundem Callippum esse, qui hic dicitur, hunc Herrmannus et Rehdantzius, quibus bene assentitur A. Schaefer. Quo autem anno res Phormionis diiudicata est, eodem ille in Sicilia fuit. Fuerat enim praefectus militum, quos Dio a Dionysio expulsus mercede conduxerat, ut vi et armis reditum in patriam cogeret (Ol. 105, 4. 357). Mox interfecto per fraudem et insidias Dione (Ol. 106, 3. 353), Callippus ipse dominatum occupat et obtinet, donec Hipparinus Dionysii filius rerum potitus est. Actio igitur, quam ei intendit Apollodorus, neque ante Ol. 104, 4. 360 neque post Ol. 105, 4. 357 facta esse potest.

Meno, qui hic dicitur — alius enim fuit Pharsalius ille, qui initio belli Peloponnesiaci Athenienses ex Thessalia auxiliis adiuvit (Thuc. 2, 25) et postea duodecim talentis donavit et

trecentos equites misit (Dem. 23, 199) —, fuit eiusdem classis praetor, cui praefuerat Timomachus (Pseudodem. 50, 12).

In Autoclem praetorem (v. West. ad Dem. 23, 104) ab Hyperide actionem compositam esse bene monuit A. Schaef. p. 158. Timothei denique Cononis filii accusationem non pertinere ad eam dicam, quam ei subscripserat Apollodorus (Pseudodem. or. 49), sed fortasse ad cladem apud Amphipolim acceptam (Ol. 105, 1. 360), idem docuit p. 161. Cf. Lortzing p. 12.

§. 54. *καίτοι πῶς ἔχει λόγον σὲ Ἀπολλόδωρον ὄντα πρότερον* —] ac tamen quae ratio est, quod tu, qui sis Apollodorus i. e. homo dissolutus et stolidus, reipublicae neque deditus neque studiosus neque peritus rerum civilium, helluo turpis et cupidus, tuarum fortunarum prodigus, alienarum appetens (Reiske), prius publica delicta, quorum pars non pertinuerit ad te, ulcisci volueris? — *πῶς ἔχει λόγον* cf. Pseudodem. 44, 32: *ὡς ἔχει λόγον*. Dem. 27, 55: *οὐ γὰρ ἔχει λόγον σῴζειν μὲν τὰ χρήματα*. 27, 47: *οὐ γὰρ ἔχει λόγον σῷσαι μὲν τὰ χρήματα*. 57, 25: *λόγον εἶχεν ὑποψίαν τιν᾽ ἔχειν*. 45, 12; 20, 18. Pseudodem. 31, 11. Lys. 3, 31. — *Ἀπολλόδωρον ὄντα*, quae tenent appositionis locum verba acerbissime dicta sunt „ein Mensch wie Apollodorus". Cf. Dem. 15, 16: *ὄντες Ῥόδιοι*. Ibid. 25: *ὄντα πολίτην*. Isocr. 14, 30: *ὄντες Θηβαῖοι*. Plura dedit Gebauer p. 303 sq.

ὡς σὺ φῄς] si q. si tibi credere fas est. Cf. Lys. 3, 30. 4, 5: *ὡς οὗτός φησιν*. 7, 28: *ὡς οὗτός φησιν εἶναι*.

ἀλλ᾽ οἶμαι] v. Rehd. ad Dem. 2, 23.

εἰς τὸ πρᾶγμ᾽ εἶναι] cf. Dem. 57, 7: *εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα πάντα λέγειν*. Ibid. 60. Opponitur *ἔξω τοῦ πράγματος ταῦτ᾽ εἶναι* §§. 63 et 69, *ἔξω τοῦ πράγματος λέγειν* Lys. 3, 46. Lycurg. 11, ubi vid. Rehd. — Hoc loco orator veritus, ne iis, quae de Apollodori et vita et litibus iam exposuerat, defatigaret iudices, quasi excusans omnium maxime in rem esse affirmat harum rerum testimonia proferre. De argumentatione extra causam v. Frohb. ad Lys. 13 praef. n. 40 et ad 14, 23.

τί χρὴ νομίζειν] in hac contrarii forma eadem fere semper verba leguntur, ut Dem. 21, 124; 23, 168; 27, 33. Pseudodem. 58, 38; 25, 43. Isae. 11, 26. Gebauer p. 13.

§. 55. *εἰς τὸ πρᾶγμ᾽ εἶναι*] requirimus loquendi varietatem, sed verborum tenuitas et causae et personae Phormionis accommodata videtur.

περὶ πάντ᾽ ἄδικος] *πάντα* generis masc. an neutr. sit ambigitur. Pabst enim convertit: „bei allen Gelegenheiten ungerecht“, Voemel „in omnes iniquus“. Huic equidem assentior; nam masculinum et contrario (*τοῖτον* — *μηδένα μηδὲν ἠδικηκώς*) flagitatur et sermonis consuetudine. Cf. Xen. Anab. 1, 6, 8: *περὶ ἐμὲ ἄδικος*. Cyrop. 8, 8, 27: *ἀδικωτέρους περὶ τοὺς ἄλλους*; Kuehn. Gr. II 429.

εἰ τύχοι] sc. *ἀδικῶν*. Cf. Dem. 1, 3: *τὰ μὲν εἴκων, ἡνίκ᾽ ἂν τύχῃ* scil. *εἴκων*. 2, 10; 4, 46; 8, 68; 9, 54; 15, 16; 19, 272; 23, 72. 76. 139; 37, 56; 20, 90. 91; 24, 157. Pseudodem. 43, 10; 48, 36; 55, 30. Hoc verbum semper personaliter a Demosthene dictum esse copiose et ad persuadendum apposite explicavit Rehd. ind. II, *τυγχάνειν*.

ὁ δὲ μηδένα μηδὲν ἠδικηκώς, πολλοὺς δ᾽ εὖ πεποιηκώς] post *μηδένα* omissum est *μέν*, sed non addendum. Nam addito *μέν* minus quam opus fuit exstitisset primaria illa oppositio, quae intercedit inter *περὶ πάντ᾽ ἄδικος* et *μηδένα μηδὲν ἠδικηκώς* (Gebauer p. 380). At conf. §. 42: *ἐγὼ δ᾽ ὡς μὲν οὐκ ἀληθῆ ταῦτ᾽ ἐρεῖ ἐπέδειξα, οἴομαι μέντοι.*

ἑκών] i. e. *φιλανθρωπίᾳ καὶ τρόπου ἐπιεικείᾳ* (§. 59).

§. 56. *σκοπεῖτε. λέγε*] hoc *λέγε* apud Dem. non reperitur nisi his locis: 28, 11. 12. 13. (Sigg p. 431).

ἀνάγνωθι δή] cf. Dem. 30, 18: *ἀνάγνωθι δὴ* (sic!) *καὶ ταύτην τὴν μαρτυρίαν*.

V. Peroratio. §. 57—62. *τοσαῦτα τοίνυν — εἰργασμένος*] cf. quae his opposuit Apollodorus Dem. 45, 69.

δεῖται καὶ ἱκετεύει καὶ ἀξιοῖ] cf. Dem. 27, 68: *δέομαι οὖν ὑμῶν, ὦ ἄνδρες δικασταί, καὶ ἱκετεύω καὶ ἀντιβολῶ.* Lys. 18, 27: *ἐγὼ μὲν οὖν δέομαι καὶ ἀντιβολῶ καὶ ἱκετεύω.* Plura apud Frohb. ad Lys. 14 praef. n. 81.

συνδεόμεθα] crebrius de amicorum deprecationibus dicitur *ἐξαιτεῖσθαι*, ut Pseudodem. 49, 10: *αὐτὸν δὲ τοῦτον ἐξαιτουμένων μὲν τῶν ἐπιτηδείων καὶ οἰκείων αὐτοῦ ἁπάντων.* 59, 117: *ἡ τῶν φίλων ἐξαίτησις*. Cf. Frohb. ad Lys. 12, 86.

ἐκεῖνο δ᾽ ὑμᾶς ἀκοῦσαι δεῖ] cf. §. 4 et Frohb. ad Lys. 25, 19.

πίστις] fides „Kredit“. Cf. §. 44. Pseudodem. 32, 16.

§. 58. *μηδ᾽ ἐπιτρέψητε ἀνατρέψαι*] exemplum adnominationis, quae exsistit, cum ad idem verbum acceditur cum

mutatione unius aut plurium litterarum (Cornif. ad Her. 4, 21, 29). Plura congessit Straub p. 136.

τῷ μιαρῷ] impuro atque scelesto. Cf. Dem. 18, 289: ἀγνώμονα καὶ συκοφάντην ὄντα καὶ μιαρόν. Pseudodem. 25, 58: μιαρὸν μιαρόν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ θηρίον καὶ ἄμικτον.

μηδὲ ποιήσητ' αἰσχρὸν παράδειγμα] cf. Pseudodem. 51, 12: τὸ πρὸς τὰ τοιαῦτα πράως ἔχειν προδιδάσκειν ἑτέρους ἀδίκους εἶναι. Hic quartus locus amplificationis est, quo demonstratur, si huic sit remissum, multos alacriores ad maleficia futuros, quos adhuc exspectatio iudicii remoretur. — De παραδείγματος vi atque usu v. Rehd. ad Lycurg. 150 (p. 162 sq.). Cf. Dem. 24, 218; 19, 105: ζῶντα τοῖς λοιποῖς παράδειγμα ποιήσατε.

τοῖς βδελυροῖς καὶ συκοφάνταις] hominibus turpibus et calumniatoribus. βδελυρός· αἰσχροποιός Timaeus Lex. ed. Ruhnk. p. 60 (Suid. s. v.; Hesych. βδελυροί· μισητοί. κακοί. ἐξουδενημένοι). Quo fit, ut saepius βδελυρὸς καὶ ἀναιδὴς iungantur; Dem. 21, 151; 8, 68, Pseudodem. 25, 27; ἀναίσχυντοι καὶ βδελυροί Pseudodem. 43, 39. Arist. Acharn. 275. Cf. Plat. Rep. I 338 D: βδελυρὸς γὰρ εἶ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, et 340 D: συκοφάντης γὰρ εἶ, ἔφη, ὦ Σώκρατες, ἐν τοῖς λόγοις. Pseudodem. 35, 32: τὴν βδελυρίαν τῶν ἀνθρώπων τούτων καὶ τὴν ψευδολογίαν. Epist. 3, 16: βδελυρία καὶ ἀναίδεια.

πολὺ γὰρ χρησιμώτερα ὑμῖν παρὰ τῷδ' ὄντα ὑπάρχει] de hac sententia cf. Dem. 38, 28: ἃ καὶ ὑμῖν ἐστιν ἐπ' ὠφελείᾳ μείζονι παρ' ὑμῖν ὄντα ἢ παρὰ τούτοις. Isae. 6, 61. Lys. 18, 20: ἂν δ' ἐμοὶ πείθησθε, οὐκ ἐλάττω ἀπ' αὐτῶν ὑμεῖς ὠφεληθήσεσθε ἢ ἡμεῖς οἱ κεκτημένοι. 19, 61, ubi v. Frohb.

ὁρᾶτε γὰρ αὐτοὶ καὶ ἀκούετε τῶν μαρτύρων] cf. Dem. 4, 3: ἐνθυμητέον καὶ παρ' ἄλλων ἀκούουσιν καὶ τοῖς εἰδόσιν αὐτοῖς.

§. 59. ἕνεκα τοῦ λυσιτελοῦντος εἰς χρήματα] ad opes suas augendas. Hic τὸ λυσιτελοῦν pro appellatione dictum est, ut Dem. 2, 28: ἐπ' οὖν τὸ λυσιτελοῦν αὐτοῖς ἕκαστοι χωροῦσιν. Thuc. 6, 85, 3: πρὸς τὸ λυσιτελοῦν. De verb. εἰς χρήματα v. ad §. 28.

οὐδὲν ἔσται τούτῳ πλέον] nihil ei proderit. De hac locutione cf. Dem. 20, 7; 19, 42. τούτῳ designat Phormionem; quod antecessit pronomen pertinet ad Apollodorum. Cf. ad §. 42.

κύριοι καθέστατε σῷσαι] penes vos est eum servare. Cf. Isae. 2, 47: *ἐπειδὴ τὸ πρᾶγμα εἰς ὑμᾶς ἀφῖκται καὶ ὑμεῖς κύριοι γεγόνατε,* h. or. §. 2: *ἀπαλλαγὴ κυρία.* Isae. 11, 9.

ἐν τίνι] pronomen interrogativum pro relativo (*ἐν ᾧ*) positum videtur esse, sed si accuratius rem contemplatus eris, h. l. *οὐ γὰρ ἔγωγ' ὁρῶ καιρόν, ἐν τίνι* — nominis ut aiunt anticipatione (Krueg. §. 61, 6) pro *οὐ γὰρ ἔγωγ' ὁρῶ, ἐν τίνι καιρῷ* dictum esse cognosces. Iam pronomen *τίνι* pro *ᾧτινι* usurpatum non ita rarum est (Krueg. §. 51, 17, 2). Cf. Pseudodem. 56, 24: *ἐκλεγόμενοι, τίνων αἱ τιμαὶ ἐπετέταντο.*

§. 60. *λόγους καὶ συκοφαντίας*] verba inania et calumnias (Latini eodem modo verba dicunt, ut Cic. Pis. §. 67: verba sunt atque ineptiae; Terent. Phorm. 3, 2, 22: verba istaec sunt; Hor. Epist. 1, 6, 31: virtutem verba putas ut lucum ligna? cf. Spengel Ter. Andr. 211; Boot Cic. Att. 15, 16; Heind.-Doed. Hor. Sat. p. 66). — Et profecto quae prima in Stephanum oratione pro se fecit verba maximam partem inania sunt atque commenticia. Cf. Schaefer p. 170 sq.

κελεύετε δ' αὐτὸν ἐπιδεῖξαι] cf. Pseudodem. 40, 54. 60.

ὡς οὐ διέθετο ταῦθ' ὁ πατήρ] id ipsum Apollodorus 46, 12 probare conatur.

ὡς ἔστι τις ἄλλη μίσθωσις] tabulas, quas Phormio h. or. §. 4 iudicibus protulit, commenticias esse Apollodorus contendit Dem. 45, 29.

ὡς οὐκ ἀφῆκεν — ἁπάντων] cf. 45, 5.

ὁ κηδεστὴς ὁ τούτου] v. h. or. §. 15 sqq.

δικάζεσθαι τῶν οὕτω πραχθέντων] de rebus ita i. e. legibus actis ac diiudicatis iudicio contendere. Cf. 38, 4: *οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι περὶ τῶν οὕτω πραχθέντων αὖθις δικάζεσθαι.* 37, 18: *οὐκ ἐῶσιν οἱ νόμοι περὶ τῶν οὕτω πραχθέντων κατηγορεῖν.* His locis comparatis forsitan conicias hoc quoque loco legendum esse *περὶ τῶν οὕτω πρ.*, at cf. h. or. §. 25: *τῶν αὐτῶν πάλιν εἰκότως δικάζοιτο.*

§. 61. *ἀπορῶν*] consilii inops, utpote qui non habeat, quid defendat. Cf. Lys. 30, 7: *ἴσως δέ, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἐπειδὰν περὶ αὑτοῦ μηδὲν δύνηται ἀπολογεῖσθαι, ἐμὲ διαβάλλειν πειράσεται.* Dem. 21, 207. Pseudodem. 40, 50.

αἰτίας] criminationes. Cf. Dem. 22, 22: *αἰτία μὲν γάρ ἐστιν, ὅταν τις ψιλῷ χρησάμενος λόγῳ μὴ παράσχηται πίστιν ὧν λέγει.* — *βλασφημίας* i. e. calumnias; cf. Dem. 18, 256: *ὑπὸ*

τῆς τουτοὶ τοῦ χαλεποῦ βλασφημίας καὶ συκοφαντίας εἰς τοιούτους λόγους ἐμπίπτειν ἀναγκάζομαι. — αἰτίαι καὶ βλασφημίαι iuncta leguntur 18, 34, αἰτίαι καὶ διαβολαί ibid. 7, αἰτίαι καὶ σκώμματα καὶ λοιδορίαι ibid. 15.

μὴ προσέχετε τὸν νοῦν] saepe admonentur iudices, ne adversarii convicia et criminationes audiant neve ab eo decipiantur. Cf. Dem. 41, 30: μὴ τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, μηδ' ὑμεῖς ἐπιτρέπετε αὐτῷ ψεύδεσθαι καὶ διαβάλλειν. 23, 219: καὶ τὰς μὲν παραγωγὰς ἃς οὗτοι ποιήσονται χαίρειν ἐᾶτε καὶ μὴ ἐπιτρέπετε λέγειν αὐτοῖς. 22, 4; 20, 98. 132; 23. 95; 18, 276; 24, 79. Pseudodem. 32, 31; 40, 21. Lys. 31, 16.

ἡ τούτου κραυγὴ καὶ ἀναίδεια] istius clamor et impudentia. Nos Germani dicimus „sein schamloses Geschrei". Cf. Pseudodem. 40, 53: μὴ καταπλαγῆτε ὑπὸ τῆς κραυγῆς τῆς τούτου. Dem. 20, 166: κραυγῆς καὶ βίας καὶ ἀναισχυντίας.

φυλάττετε καὶ μέμνησθε] custodite memoria et tenete. Item Dem. 20, 163; 23, 215. 219; 20, 167: ταῦτα φυλάξατε καὶ μνημονεύετε. 45, 87: μνημονεύοντες πάντα ὅσα ἀκηκόατε ἡμῶν καὶ φυλάττοντες, ἐὰν παράγειν ἐπιχειρῶσιν ὑμᾶς.

εὐορκήσετε καὶ τοῦτον δικαίως σῴσετε] secundum iusiurandum vestrum sententiam pronuntiabitis et hunc iure servabitis. De v. εὐορκεῖν cf. Dem. 39, 37 et quae ad §. 1 adnotavimus. De v. σῷσαι v. Blass III, 1 p. 191.

§. 62. Lex et testimonia, quae recitari hic iubet orator eadem sunt quae §. 24 iam sunt recitata. Nonnunquam enim oratores, ut iudices in suas partes ducant, legem, quae ad causam pertinet, vel testimonia vel aliud argumentum gravius in fine orationis iterum recitari iubent. Cf. Frohb. ad Lys. 14, 47.

οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ πλείω λέγειν· οἶμαι γὰρ — εἰρημένων] plane eadem clausula usus est Isaeus or. 7 et 8, Dem. 20, 167; 38, 28; 54, 44. Cf. Pseudodem. 58, 57; 61, 47. Lys. 10, 31; 16, 9; 21, 22; 23, 16; 31, 34. Isocr. 17, 34. Quod F. A. Wolfius ad Dem. 20, 167 ait vulgo perperam scribi *οὐκ οἶδ' ὅ τι,* equidem non assentior nec Westermanno, qui *ὅ τι* adverbii („weshalb") loco accipi vult. Mihi enim ipsum interrogandi pronomen videtur esse; cf. Dem. 41, 25: ἡγοῦμαι μὲν οὐδὲν ἔτι δεῖν πλείω λέγειν. Ibid. 4: περὶ ἧς οὐκ οἶδ' ὅ τι δεῖ λέγειν coll. 8: περὶ ὧν οὐδ' ἔγωγ' οἶδα, τί ποθ' ἕξει δίκαιον λέγειν et Pseudoisocr. Epist. 8, 8: περὶ ὧν οὐκ οἶδα, τί (sic Benseler) δεῖ πλείω λέγειν. Andoc. 4, 7.

ἐξέρα τὸ ὕδωρ| alloquitur eum, qui κλεψύδρᾳ (de qua v. Becker Charikles I, 325 sqq.) adstabat, eiusque nomen erat ὁ ἐφ' ὕδωρ (Poll. 8, 113). Erat enim mos Atheniensium in causis privatis oratoribus aquam i. e. tempus admetiri, ita tamen, ut, qui causam graviorem agebant, iis plus aquae in clepsydram infunderetur. Illius igitur munus erat aquae cursum regere ac moderari, quae dum leges vel testimonia recitantur inhiberi solebat. Itaque oratores eum saepius inclamant ἐπίλαβε τὸ ὕδωρ, cf. Dem. 45, 8; 57, 21; 54, 36, ubi v. West. Hoc loco, cum effundere eum aquam iubeat, non omni tempore actioni destinato opus fuisse apparet.

Appendix.

De argentariis Atheniensibus breviter exponitur[1]).

Argentariorum (τραπεζιτικῶν) ante Solonis tempora, cum Atheniensium res publica nummis publice signatis careret et res vel aere peregrino vel mercium compensatione gererentur, apud veteres scriptores nullam fieri mentionem non mirum est. Tum enim omnis fere possessio civium servi erant et pecora et ea, quae solo continentur (οὐσία φανερά, v. Koutorga p. 6 sqq.). Sed inde a septimo a. Chr. n. saeculo Aegypti portubus Graecorum mercaturae patefactis cum negotiatio maritima floresceret et naves in Pontum Euxinum et ad Africae, Hispaniae, Galliae litora penetrarent, multi nummi externi Athenas comportati sunt et aere publico a Solone instituto magnae eo confluxerunt divitiae. Quo factum est, ut in emporiis nobilissimis exsisterent, qui nummos externos permutarent (καταλλάττεσθαι Dem. 19, 114 vel ἀμείβεσθαι), unde ipsi ἀργυραμοιβοί vocabantur (Plat. Politic. 289 E. Theocr. 12, 37) vel κολλυβισταί (Poll. 3, 84; 7, 33), quod nomen tractum est a vocabulo κόλλυβος i. e. λεπτὸν νομισμάτιον (Poll. 9, 72). Nam cum suum cuique civitati argentum signatum esset et monetae valore differrent, hac compensatione utebantur. Quod faciebant lucrum, καταλλαγή appellatum esse videtur (Pseudodem. 50, 30: ὁπόσου ἡ καταλλαγὴ ἦν τῷ ἀργυ-

1) Cf. K. F. Herm. Antiq. IV 452. 453. ed. Bluemner; libris quos hic affert, adde G. Perrot, Mémoires d'archéologie, d'épigraphie et d'histoire, Paris 1875 p. 337—444.

ῥίῳ, sed aliter interpretatus est Reiskius). Iidem pecuniam spectabant ac ponderabant, utrum proba esset et sincera (ἀργύριον δόκιμον opp. κίβδηλον Poll. 3, 86. Xen. Mem. 3, 1, 9) an adulterina, unde ipsis nomen erat ἀργυρογνώμονες (Pseudo-Plat. de virt. 378 E). Neque enim deerant, qui nummos percuterent adulterinos (παραχαράττειν, de quo v. Becker Charikles II p. 211), quamquam caput eius, qui adulterasset monetam, sacratum erat (Dem. 20, 167; 24, 212). Sed multo ante quam in urbe Athenis, mensarii exstiterunt et in Asiae oppidis opulentissimis, quae mercatura florebant (Perrot p. 346), et Corinthi, quae urbs iam antiquissimis temporibus, cum Phoenices mare tenerent, celeberrimum Graeciae emporium fuit (Thuc. 1, 13. Hom. Il, 2, 570). Quinto autem saeculo, quo devictis Persis industria et mercatura efflorescere et augeri coeperunt, fere in omnibus Graeciae urbibus argentarios fuisse putandum est (Dem. 36, 29)[2]). Neque vero unquam fieri potuit, ut ad tantas divitias tantamque auctoritatem, quantam postea adepti sunt, pervenirent, nisi civium pecunias administrassent et exercuissent. Hi argentariam facere alienum a sua dignitate (Dem. 36, 30) esse seque ad maiora natos existimantes cum vel agriculturae studerent vel magistratibus obeundis distenti essent, pecuniam, ne otiosa (ἀργὰ χρήματα Dem. 27, 7) domi iaceret, apud argentarios deponebant, qui eam occuparent et negotiarentur (ἐνεργὸν ποιεῖν Pseudodem. 56, 29). Argentarii enim Graeci, quos quidem nos audierimus, e genere libertinorum et inquilinorum (μετοίκων) fuerunt. Pecunia mensae credita παρακαταθήκη τῆς τραπέζης dici solebat (Dem. 36, 5; Pseudodem. 52, 27. Isocr. 1, 22; 17, 13. Lys. 8, 17; 32, 5, 16).

Atheniensium mensae (quae quales fuerint, v. Perrot p. 351 sq.) vel in Piraeo erant (Pseudodem. 52, 8) vel celeberrimum fori locum tenebant (Plat. Apol. 17 C. Hipp. min. 10. Theophr. Charact. 21; cf. Becker Charikles II, 207 sq. Perrot p. 358). Primus omnium, quod ex litteris, quae ad nostram aetatem permanserunt, cognosci licet, Themistocles ille Atheniensis septuaginta talenta in Philostephani Corinthii mensa deposuit (Epistologr. Graec. rec. R. Hercher, Paris 1873 p. 745 sq. Pseudo-Themist. Epist. VI et VII. Cf. Guillard p. 2. Koutorga p. 19. Perrot

---

2) Omnium argentariorum, de quibus apud oratores Atticos mentio fit, nomina composuit Perrot p. 444.

p. 347). Mox abstinentia ac probitate adeo sibi fiduciam civium conciliabant, ut illi mensae non solum leviore faenore crederent pecuniam, sed etiam sine usuris deponerent, ut nomine suo creditoribus satisfacerent. Nam paulatim moris fuit, ut, cui pecunia solvenda erat, is argentariorum opera uteretur (*χρῆσθαι τῇ τραπέζῃ* Pseudodem. 52, 3. Isocr. 17, 4; Herm. Antiq. ed. Thalh. p. 455), qui omnes eius rationes negotiaque procurarent. Itaque per mensam, ut aiunt Latini, vel per mensae scripturam (Hor. Sat. 2, 3, 69, ubi v. Krueg.) solvebat et, si quid emptum foret, argentarios suos pecuniam eis, quibus deberet, perscribere iubebat (*διαγράφειν* i. e. *διὰ τραπέζης ἀριθμεῖν.* Harp.). Inter civem deponentem et argentarios antiquis certe temporibus pactum (*συμβόλαιον*), quo condiciones, de quibus inter eos convenerat, erant constitutae, coram testibus (*ἐναντίον μαρτύρων*) confectum esse veri simile est. Postea autem tanta erant auctoritate, ut nullis testibus adhibitis ac ne syngrapha quidem composita res cum iis contraherentur (Isocr. 17, 53. 2) et vel peregrini rationes iungerent. Sinopei quidem filius (Isocr. 17, 3: *πατὴρ μέν ἐστι Σινωπεύς* Benselerus, alii *Σωπαῖος* legunt) in mensa Pasionis, cuius res omnium argentariorum optime ex oratoribus cognosci licet, commendante eum Pythodoro Phoenice pecuniam deposuit (id. 17, 4. 13). Eiusdem mensae Lyco quidam Heracleotes, cum in Libyam navigaturus esset, sedecim minas et quadraginta drachmas credidit, quas Cephisiadi socio eius redderet (Pseudodem. 52, 3). Nam Pasioni per totam Graeciam fides habebatur multique erant amici (Isocr. 17, 2). Quare Apollodoro eius filio, cum trierarchi munere fungeretur, quia Pasionis argentarii filius et illi cum multis hospitium erat, Lampsaci, Thasi, Tenedi non defuerunt, qui petenti mutua darent (Pseudodem. 50, 56). Sed ne miremur, qua ratione et cives Athenienses et peregrini illis hominibus humili loco natis tantum crediderint, tabulas accepti et expensi (*γραμματεῖα* Dem. 45, 33, *τραπεζιτικὰ γράμματα* vel *γράμματα ἀπὸ τῆς τραπέζης* Pseudodem. 49, 59) summa cum diligentia ab iis confectas esse oratores memoriae prodiderunt. Erat enim iis persuasum fidem rei faciendae occasionem esse omnium maximam (Dem. 36, 44). Itaque propter ipsum officium fidi esse videbantur (Isocr. 17, 2) et cum lis de pecuniis creditis intendebatur, eorum tabulae fide publica erant et testimonii loco proferebantur (Pseudodem. 49, 43. Dem. 36, 20. 36). Quarum duo genera fuisse videntur (v. Guillard p. 14): unum genus

ἐφημερίδες (acta diurna) vocatur (Plut. de vit. aer. alien. 5), in quibus quae cotidie accepta et expensa esset pecunia conscribi solebat — quamquam eo nomine incertum est Demosthenis temporibus sintne usi; cf. Perrot p. 355 sq. —, alterum ὑπομνήματα (commentarii Pseudodem. 49, 5. 30) vel γραμματεῖα vel γράμματα τραπεζιτικά. Quae qualia fuerint, ex pluribus orationum Pseudodemosthenicarum locis intellegi potest, ut 49, 5. 8. 30. Itaque si quis homo privatus pecuniam, quam alteri reddi volebat, in mensa argentarii depositurus erat, ei in codice veri simile est duas concessas esse paginas, quarum in una acceptum, in altera expensum latum esset. Atque in illa primum eius, qui deposuit, nomen scribebatur, deinde argenti summa, tum quo tempore depositum, denique cui reddendum esset; quem nisi argentarius de facie noverat, insuper adicere solebat, quis adducturus et commendaturus eum esset, cui argentum erat numerandum. In altera autem pagina referebatur pecunia expensa, cui tradita esset, quam ad rem, deniqne quo tempore expensa esset.

Quae cum ita sint, ut argentarii fere semper dignos se praebebant, quibus fides haberetur, ita non deerant, qui in homines imperitos fallaciam intenderent et pecuniis aliorum suas facultates iniuste augere studerent. Cf. Cebes Theb. §. 31: καὶ γὰρ ἐκεῖνοι (sc. οἱ κακοὶ τραπεζῖται), ὅταν μὲν λάβωσι τὸ ἀργύριον παρὰ τῶν ἀνθρώπων, χαίρουσι καὶ ἴδιον νομίζουσιν εἶναι, ὅταν δὲ ἀπαιτῶνται, ἀγανακτοῦσι καὶ δεινὰ οἴονται πεπονθέναι οὐ μνημονεύοντες, ὅτι ἐπὶ τούτῳ ἔλαβον τὰ θέματα, ἐφ᾽ ᾧ οὐδὲν κωλύει τὸν θέμενον πάλιν κομίσασθαι. Quid quod Pasio ipse quam Sinopei filius in mensa deposuerat pecuniam reddere noluit, quare δίκη παρακαταθήκης ei scripta est? (Isocrat. Trapeziticus). Quam ob rem uni argentario omnem pecuniam credere cives nonnunquam verecundati sunt. Patrem quidem Demosthenis oratoris duo milia quadringentas drachmas in Pasionis mensa, in Pyladis sescentas deposuisse, Demomeli mensario mille sescentas dedisse scriptum legimus (Dem. 27, 11).

Pecunia privatis mensae credita erat ut caput (ἀφορμή Dem. 36, 11), quo argentarii negotiationem exercebant et faenus quaerebant. Ipsis perraro propria in mensa pecunia erat (Stobaei Floril. 97, 31: οὐ γὰρ αὐτῶν ὄντα ἔχουσι. Dem. 36, 11: ἡ δ᾽ ἐργασία (sc. τῆς τραπέζης) προσόδους ἔχουσα ἐπικινδύνους ἀπὸ χρημάτων ἀλλοτρίων), sed quas comparaverant opes vel suo nomine privato administrabant vel, si in civium numerum adsciti

erant, in fundis et aedibus occupabant vel fabricas instituebant. Pasioni enim, cum decederet, facultates terrestres viginti fere talentum fuere, argenti proprii plus quinquaginta talenta, de quibus undecim in mensa deposita, reliqua undequadraginta aliis mutua data erant (Dem. 36, 5); praeterea filiis scutorum officinam (ἀσπιδοπηγεῖον) reliquit. Pecunias sibi aut sine usuris aut levioribus usuris creditas ipsi aliis plerumque grandi faenore dabant (δανείζειν ἐπὶ τόκῳ Plat. Legg. 742 C)[3]. Neque quicquam obstabat, quominus usuras postularent iniquissimas. Nam cum in Graecia usurae graviores solverentur quam Romae Ciceronis temporibus vel hac aetate solent, tum neque in Attica neque in alia civitate lege constitutae erant usurae. Cf. Lys. 10, 18: τὸ ἀργύριον στάσιμον εἶναι ἐφ᾽ ὁπόσῳ ἂν βούληται ὁ δανείζων. De usuris apud Graecos solitis v. Boeckh p. 173—177. Itaque toculliones quidam in usurarum quantitate et iniquitate, qua aes exigebant et debitores aedibus ac possessionibus eiciebant, sordidis qui nunc sunt faeneratoribus non cessisse putandum est; cf. Dem. 45, 70. Quare merito omnibus hominibus bonis invisi erant (Dem. 37, 52 sq.). Sed quae, ut nunc sunt tempora, iniquissimae videntur usurae tum minus graves erant, quod, si quid adversi accidisset navigantibus — ii enim nisi pergrandi faenore non accipiebant pecuniam —, et caput et usurae perierant. At contra multi argentarii et singulis civibus pecunia indigentibus subveniebant officiose et de omni civitate bene merebantur (Dem. 36, 57; 45, 85). Nam si quis civium pecunia laborabat neque habebat in mensa depositam, ei roganti officii loco (μετὰ χάριτος) de creditis ab aliis mensae pecuniis dabant nec pignus (ἐνέχυρον) postulantes neque adhibitis testibus (Pseudodem. 49, 2. 61). Ac ne usuras quidem interdum petiisse videntur nec faciebant syngrapham (ἀσύγγραφα δανείσασθαι Diod. Sic. 1, 79. De συγγραφή v. Pseudodem. 35, 10—13), sed nomen eius qui deberet et quantam pecuniam accepisset et quam ad rem abusus esset, in codicem referebant (Pseudodem. 49, 5). Saepius autem in pignus credebant iisque erant famuli, qui pecuniae mutuae datae pignora reciperent (ibid. §. 52), aut apud alium argentarium tabulas (συγγραφήν) de aere credito confectas deponebant

---

3) Ipsi vel δανεισταί (Pseudodem. 32, 12; 34, 50) vel τοκισταί (Pseudo-Plat. Alc. II, 149 E.) vel χρησταί (Arist. Nub. 241 et 433. Lycurg. §. 22) appellari solebant.

(Pseudodem. 34, 6). Sed ut aliis pignoribus acceptis vel sub pignoris sponsione (ὑποθήκῃ, quae a Graecis inventa est) faenore occupare pecuniam licebat, ita in solo et aedibus collocare libertinis et inquilinis importunum erat, quod, cum ius agros et domus acquirendi (ἔγκτησις γῆς καὶ οἰκίας Dem. 18, 91) iis non esset, si debitor non erat solvendo, iure exigere vetiti erant (Dem. 36, 7). Sed non solum singulis mutuam pecuniam dabant, verum etiam toti civitati interdum operam praestabant egregiam, cum bellis male gestis vel aliis rebus adversis in eam necessitatem adducta erat, ut versuram publice faceret (δάνεισμα ποιεῖσθαι Thuc. 1, 121, 3). In quo non tam usum suum quam auram favoris popularis petebant, quae alias rebus suis inserviret. Nam cum multorum et civium et peregrinorum debitores iidemque creditores essent, fieri non poterat, quin saepius litibus implicarentur (Perrot p. 366). Pasionem constat cum alia in rempublicam contulisse beneficia tum mille clipeos dedisse et triremibus quinquiens ultro donatis suoque sumptu completis munera navalia obisse (Dem. 45, 85). Neque ingrati erant Athenienses et ipsum et posteros civitate donaverunt, qui honos priscis temporibus perpaucis erat tributus (Hermann, Antiq. publ.. §. 117, 9), postea Phormionem eius libertum in civium numerum adsciverunt (Pseudodem. 59, 2; 53, 18; 46, 15. Dem. 36, 47). Neque tamen in phratriam cives novi recipiebantur (Hermann §. 100, 4), neque ad excelsam illam civium ingenuorum mentem consurgere poterant, quibus nullas omnino opes generi praeferre honestum erat (Dem. 36, 30).

Argentarii cum omnibus mensae negotiis gerendis impares essent, complurium ministrorum opera utebantur, quos e numero servorum sibi adiungebant et, si industrios ac fidos se praestiterant, libertate donabant. Princeps omnium erat ὁ ἐπικαθήμενος ἐπὶ τῇ τραπέζῃ (vide, quae adnotavimus ad or. §. 7) vel ὁ ἐπικαθήμενος, qui mensae rationes negotiaque procurabat. Nec raro factum est, ut, si quis probitate et industria domini benevolentiam sibi comparaverat, ei mensa locaretur (Dem. 36, 7. 43). Nam quantum interfuerit negotia ab homine maxime industrio geri, inde cognoscitur, quod alii argentarii ad magnas divitias pervenerunt, alii, cum pecuniae mensis creditae reddendae erant, omnibus bonis cedere (Dem. 36, 50; 45, 64) et dissolvere argentarias (ἀνασκευάζειν τὴν τράπεζαν Pseudodem. 33, 9; 49, 68, ἀνατρέπειν τὴν τράπεζαν Andoc. 1, 130) coacti sunt. Quam ob rem ne omnia perirent, argentarii administrationem mensae

(*τὴν ἐργασίαν τὴν τῆς τραπέζης* Dem. 36, 6), sed nulla sua pecunia addita (ibid. 12), liberto, qui fide spectata atque industrius erat, locare malebant quam filiis permittere, qui vel desidiae se dederent vel negotii administrandi imperiti essent (Guillard p. 20 sq. Perrot p. 409). Pasio quidem Phormionem libertum mensam et scutorum officinam exercere iussit, filiis autem reliqua bona reliquit (Dem. 36, 4. 8. 51). Eidem argentariorum more (ibid. 28 sq.) uxorem suam nuptum collocavit. Nam illorum hominum mulieres ampliorem quam civium ingenuorum obtinuisse locum videntur, ut quae cum totius negotii tum pecuniarum mensae creditarum consciae essent et eos, qui mensa uterentur, bene novissent. Cf. Dem. 36, 14. Guillard p. 22. Perrot p. 414 sqq.
